

www.e-rara.ch

**Officia propria sanctorum quorundam ex proprio tam Constantiensi,
quam etiam Monasterij S. Galli**

Rudolphi, Joseph <<von>>

Typis ejusdem Monasterij S. Galli, Anno M.DCC.XXIII. [1723]

Stiftsbibliothek St. Gallen

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-130371>

Kapitel

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

SUPPLEMENTUM
OFFICIORUM PROPRIORUM
PRO USU RR. DD. CLERICORUM
TERRIT. S. GALLI.

DIE XXVIII. JANUARI.

*In Festo S. CAROLI MAGNI Imperato-
ris & Confess. Duplex.*

Oratio.

OMnipotens & misericors Deus, qui
à gloria tua nullam conditionem ex-
cludis, te suppliciter exoramus, ut sicut
beato Carolo Confessori tuo post terreni
culmen Imperii cœlestis regni solium
contulisti: ita meritis ejus & precibus
nobis quoque famulis tuis æternæ felici-
tatis præmia largiaris. Per Dominum.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

CArolus propter rerum, quas gessit,
magnitudinem cognomento Magnus,
propter ardentissimum autem Religionis
Christianæ tuendæ, & propagandæ studi-
um in synodo Moguntina Christianissimus,
veræque Religionis, & sanctæ Dei Ec-
clesiæ defensor conditctus, Patre Pipino
Francorum Rege, Matre Berthrada Græ-
ca Principe in Ingelhemii castro natus,
genus suum ex Francis Orientalibus du-
xit,

xit, Petro Diacono & Alcuino Præceptoribus usus cælestium rerum ac Philosophiæ notitiam haud vulgarem affecutus est. Patris autem jussu anno ætatis decimoquinto militiæ se applicavit, in qua Deo manus ejus ad prælia edocente adeò excelluit, ut præclarissimas de Aquitanis, Longobardis, Saxonibus, Hunnis, ac Sarcenis in Gallia, Italia, Germania, ac Hispania victorias referret, quibus (quod in bellis spectabat unicè) Ecclesiam Dei mirificè protexit, ac dilatavit; atque Imperatoris Romani dignitatem à Sede Apostolica populo acclamante accepit.

Lectio V.

Fortitudini verò bellicæ pietatem Christianam, ac proximi charitatem raro exemplo ita conjunxit, ut dubium relinqueret, in qua magis præcelleret, in ædibus sacris rem divinam obibat assiduè, neque stas preces Canonicas seu nocturnas, seu diurnas, cùm valuit, facile neglexit: Romam voti causa quater adiit, Divi quoque Jacobi Apostoli in Gallicia ædem celebrem lustravit, fastos Martyrum, & homilias sanctorum Patrum in Evangelia colligi, & per anni circulum annuente Hadriano Primo Summo Pontifice populo proponi curavit.

Novem Episcopales sedes in Germania erexit, & munificentissimè dotavit, Monasteriensem videlicet, Mindensem, Halberstadiensem, Osnabrucensem, Paderbornensem, Hildesiensem, & Verdensensem, Hamburgensem, & Bremensem. Ea in cultu corporis modestia usus est, ut extra summas solemnitates veste à communi & plebeia parùm differente incederet, sub qua aliam setis horrentem majore vitæ suæ tempore ad corpus suum edomandum gestavit.

Lectio VI.

AMplissima ejus in pauperes Christi charitas limitibus Imperii claudi non potuit; nam egenis etiam Christianis in Syria, Africa, & Palæstina suis eleëmofynis, liberalissimè succurrit, ac illarum terrarum Principes muneribus sæpè submissis demeruit, ut Christianos sub se degentes clementiùs haberent. Insignem erga victos clementiam constanter præ se tulit: unde & Widikindo Saxoni toties perduelli, prostratoque aliam legem non tulit, quàm ut ejurata Idolomania Deo & Christo nomen daret, quod ille tum demum præstitit, cùm in sacra Eucharistia Christum Dominum elegantissimi pueri specie Carolo, & Proceribus

bus à Sacerdote , festo Paschatis porrectum conspexit. Tandem ætate ac meritis plenus , anno æræ Christianæ octingentesimo decimo quarto , vitæ suæ septuagesimo secundo , Imperii decimo quarto , magno omnium dolore è vita mortali decessit , cùm priùs majorem facultatum suarum partem Ecclesiis & pauperibus testamento consignasset. Ejus corpus in Ecclesia majori urbis Aquisgranensis magno populi Christiani concursu colitur.

In tertio Nocturno.

Lectio S. Evangelii secundùm Lucam.

Lectio VII. Cap. 19. b

IN illo tempore : Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc : Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam , accipere sibi regnum & reverti. Et reliqua.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.

Lib. 8. in Lucam.

BONUS ordo , ut vocaturus gentes , & Judæos jusurus interfici , qui noluerunt regnare supra se Christum , hanc præmitteret comparisonem , ne diceretur : Nihil dederat populo Judæorum , unde poterat melior fieri ; ut quid ab eo , qui nihil recepit , exigitur ? non medi-

ocris

ocris ista est mna, quam suprà mulier Evangelica, quia non invenit, lucernam accendit, lumine quærit admoto, gratulatur inventam.

Lectio VIII.

DEnique ex una decem mnas alius fecit, alius quinque. Fortasse iste moralia habet, quia quinque sunt corporis sensus: ille duplicia, id est, mystica legis, & moralia probitatis. Unde & Matthæus quinque talenta, & duo talenta posuit: in quinque talentis, ut sint moralia; in duobus utrumque, mysticum atque morale. Ita quod numero inferius, re uberius.

*Lectio IX. de S. Agnete secundò.**DIE XXXI. JANUARI.**In Festo S. EUSEBII Mart. Monachi S. Galli. Duplex**Oratio.*

PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut intercedente B. Eusebio Martyre tuo, & â cunctis adversitatibus liberemur in corpore, & â pravis cogitationibus mundemur in mente, per Dñm.

Ant. Veni sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus præparavit

in æternum. *V.* Diffusa est gratia in labiis tuis. *R.* Propterea benedixit te DEus. *Oratio.* DEus qui inter cætera potentiæ tuæ miracula etiam in sexu fragili victoriam Martyrii contulisti : concede propitius : ut qui beatæ Martinæ Virginis & Martyris tuæ natalitia colimus, per ejus ad te exempla gradiamur, per Dñm.

In II. Noct. Lect. IV.

Eusebius Patriâ Scotus, Professione Monachus Ordinis sancti Benedicti in Monasterio sancti Galli, solitariae vitæ amore in montem sancti Victoris Martyris donô Caroli tertii Monasterio â se acquisitum, in Curiensi Rhætia supra vicum Ranitium de sui Abbatis Hartmoti licentiâ secessit. Licet autem montis hujus antro propria sponte vellet includi, plurimi tamen hominum sive salutis accepturi monita, sive quæsituri solatia, frequenter ad eum ventitabant, quos ille pro sua pietate nunquam nisi lætos à se dimisit, hinc factum, ut regionem universam in sui amorem ac reverentiam induceret.

Lect. V.

Et quamvis omnium virtutum laude esset eximius, cibi tamen & potûs absti.

stinentia fuit admirabilis, ita ut veterum Ægyptiorum Patrum morem, cibò mortis arcendæ magis quàm producendæ vitæ admisso, in usum revocare videretur. Prophetiæ quoque spiritu clarus multa futura prædixit tum ipsi Carolo tertio, qui ejus rei gratiâ frequentius eum convenire consueverat, tum alteri cuidam magnæ dignitatis viro, cui super uxoris utero, quæ propinqua partui hericum se peperisse, compluresque puerulos ad evellendos ei stimulos accurisse somniaverat, ipsum consulenti respondit, parituram filium, eum sancto Gallo devotum iri, ibidem religiosè educatum, magni nominis Doctorem futurum, & disciplinis asperum, litteris & moribûs juventutem imbuturum, quod eventus in Istone comprobavit.

Lect. VI.

Post triginta tandem annos ex illo voluntario carcere prodiit in publicum, non solitudinis tædiò, sed in operariorum penuriâ ad copiosam animarum messem divinò ductus consiliò. Toto igitur studiò in vicini populi salutem incubuit, ut omnes, quantum in se esset, salutaris doctrinæ præceptis instructos Christianis sacris ad verum DEI cultum initiaret.

ret. Quod cùm per provinciam frequentius faceret, eadèmq; sæpius inculcaret, quàm quorundam improbi mores ferrent, in ejus necem conspirarunt, quam etiam, non ita multò post intulerunt, falce fænaria demesso capite, quod suis ipsemet è terra sustollens manibûs per aliquot centenos passus à Martyrii locò Prederis dictò, cunctis, qui aderant, stupentibus in illum suum montem gestavit in prædilecta sua eremo sepeliendum, ita sanctus Martyr anno Domini octingentesimò quartò pridie calendas Februarii Martyrium passus, ad lucem migravit pereñem. Ejus Reliquiæ in eodem monte apud Fratres minores conventualium sancti Francisci magnâ fidelium veneratione asservantur.

In 3. Noct.

Lectio S. Evangelii secundum Matth.
Cap. 10.

Lectio. VII.

IN illo tempore dixit JESUS discipulis suis: Nihil est opertum, quod non revelabitur, & occultum, quod non sciatur. Et reliqua

Ho.

Homilia S. Hilarij Episcopi Coment.

in Matth. cap. 10.

Dominus diem iudicii ostendit, quæ abstrusam voluntatis nostræ conscientiam prodet: & ea quæ nunc occulta existimantur, luce cognitionis publicæ deteget. Igitur non minas, non consilia, non potestates insectantium monet esse metuendas, quia dies iudicii nulla hæc fuisse atque inania revelabit. Et quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicite super tecta. Non legimus Dominum solitum fuisse noctibus sermocinari, & doctrinam in tenebris tradidisse; sed quia omnis sermo ejus carnalibus tenebræ sunt, & verbum ejus infidelibus nox est.

Lect. VIII.

ITaque id, quod à se dictum est, cum libertate fidei & confessionis vult esse loquendum, idcirco quæ in tenebris dicta sunt, prædicari jussit in lumine: ut, quæ secreto aurium commissa sunt, super tecta, id est excelso loquentium præconio audiantur. Constantem enim ingerenda DEI cognitio est, & profundum doctrinæ Evangelicæ secretum in lumine prædicationis Apostolicæ revelandum: non timentes eos, quibus, cum sit licentia

in corpora, tamen in animam jus nullum est: sed timentes potius DEum, cui perdendæ in gehennam & animæ & corporis sit potestas.

Lect. IX.

Nolite timere eos, qui occidunt corpus, nullus igitur corporum nostrorum casus est pertimescendus, neque ullus interimendæ carnis admittendus est dolor; quando pro naturæ suæ, atque originis conditione resoluta, in substantiam spiritualis animæ refundatur. Et quia doctrinis talibus confirmatos oportet liberam confitendi DEI habere constantiam, etiam conditionem, qua teneremur, adjecit: negaturum se eum Patri in cælis, qui se hominibus in terra negasset: eum porro, qui confessus coram hominibus se fuisset, à se in cælis confitendum, qualesque nos nominis sui testes fuisset, tali nos apud DEum Patrem testimonio ejus usuros.

*FESTA APRILIS.***OFFICIUM**

De Lancea & Clavis Domini. Duplex secundæ Classis.

*Feria sexta aliqua post Dominicam in Albis intra Tempus Pasch. tantum (non im-
pe-*

*perdita Festo novem Læctionum) recitan-
dum per Germaniam. S. R. C. 5. Maji 1736.*

*Ad primas Vesperas, Antiph. Hasta
Regem gloriæ. cum reliquis de Laudibus
Psalmus. Dixit Dominus. cum reliquis
de Dominica. Et loco ultimi, Psalm.
Laudate Dominum omnes Gentes.*

Capitulum. Sap. 5.

SUmet Dominus scutum inexpugnabile
æquiatem: acuet autem duram iram
in Lanceam, & pugnabit cum illo orbis
terrarum contra insensatos.

Hymnus.

PANGE lingua gloriosæ
Lanceæ præconium,
Quæ reclusit pretiosæ
Cataractæ fluvium,
Passo Christo dolorosè
Pro salute Gentium.
Hasta Gazis præoptata
Mundi pandit pretium,
Cordis tactu præparata
Fit sagitta fortium:
Arma Clavi sunt beata
Contra vires dæmonum.
Dulcis Hasta Dei latus
Spoliasti sanguine,
Dulces Clavi, qui reatus
Expurgastis flumine;

Ut

Ut fit mundus emundatus
Et sanatus vulnere.

Hasta fulcit viatores,
Et timentes animat,
Et ostenso, bellatores
Cordis succo roborat,
Clavus firmat & dat rores,
Pufillosque recreat.

Jesu victor inferorum,
Qui triumphas Lancea,
Et virtute qui Clavorum
Restaurasti omnia :
Fac, ut horum nos armorum
Muniant præsidia. Amen.

Ÿ. Accipiet armaturam zelus illius, allel.
R. Et armabit creaturam ad ultionem
inimicorum, allel.

Ad Magnificat, Antiphona.

Gaude pia plebs justorum, omne ge-
nus Germanorum, tantis de muneribus:
nam clenodia salutis, tibi dedit Rex vir-
tutis, suis de vulneribus; Clavos, Lan-
ceam & Crucem, ut sequaris Christum
ducem, allel.

Oratio.

DEus, qui in assumptæ carnis infirmi-
tate Clavis affigi, & Lancea vulne-
rari pro mundi salute voluisti : concede
propitius : ut qui eorundem Clavorum
&

& Lanceæ solemnia veneramur in terris,
de glorioso victoriæ tuæ triumpho gra-
tulemur in cœlis. Qui vivis & regnas,
&c.

Ad Matutinum, Invitatorium.

Cœlestis Regis Lanceam, venite, ado-
remus: * Et pro Clavis ejus Christo ju-
bilemus, alleluja. *Psalm.* Venite.

Hymnus.

PAschali júbilo sonent præconia
Armorum Domini, per quæ victoria
Venit Christicolis; sint in memoria
Crux, & Calvi, & Lancea.

Crux apud inferos spoliat tartara,
Lancea superis tribuit præmia,
Clavi consociant cœlos & infima,
Fletum mutant lætitia.

Clavus dum figitur in Dei manibus,
Et dum demergitur in sacris pedibus,
Hasta dum fodicat latus, hominibus
Manat gratiæ fluvius.

Lancea sæviens in Dei pectore,
Et inde proferens aquam cum sanguine,
Mundum lætificat impetus flumine,
Omnes ad aquas currite.

Te summa Deitas cœlum magnificat,
Ordo Seraphicus laudibus insonat,
His noster pariter cœtus se misceat,
Et in sæcula te canat. Amen.

In

In primo Nocturno, Antiphona.

Exaltatur Crucis lignum, dum Christus occubuit lanceatus; à maligno hoste nos eripuit, allel.

Psalms. Beatus vir, qui non abiit. Quare fremuerunt Gentes. Domine, quid multiplicati. *Ut in Communi unius Mart.*

Ÿ. Tuam Lanceam adoramus Domine, alleluja. R. Tuam gloriosam passionem recolimus, alleluja.

De libro secundo Paralipomenon.

Lect. I. Cap. 9. d.

FECIT igitur rex Salomon ducentas hastas aureas de summa sexcentorum aureorum, qui in singulis hastis expendebantur. Trecenta quoque scuta aurea centum aureorum, quibus tegebantur singula scuta: posuitque ea Rex in armamentario, quod erat confitum nemore. Tu autem Domine.

R. Videte gloriosa loca clavorum, & latus meum lancea perforatum, pro salute mundi. * Palpate & videte, quia ego ipse sum, alleluja, allel. Ÿ. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit. Palpate.

De Libro Sapientiæ.

Lect.

Lect. II. Cap. 5. c.

ET accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad ultionem inimicorum. Induet pro thorace justitiam; & accipiet pro galea iudicium certum. Sumet scutum inexpugnabile æquitatem. Acuet autem duram iram in lanceam, & pugnabit cum illo; orbis terrarum contra insensatos.

R. Latus ejus aperuit, alleluja, paterfecit ostium vitæ, * Alleluja, alleluja.
V. Ingrediamur illud. Alleluja, allel.

De Epistola B. Pauli Apostoli ad Ephesios.
Lect. III. Cap. 6.

Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli: quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus principes & potestates, adversus mundi Rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in caelestibus. Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti lorica justitiae, & calceati pedes in praeparationem Evangelii pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere; &

galeam salutis assumite : & gladium spiritus, (quod est Verbum Dei.)

Rx. Inter Clavos Christus in Cruce separatus est, * Alleluja, alleluja alleluja. Y. Et in sancta resurrectione mundus in ejus laudibus vigilavit. Alleluja, alleluja, alleluja. Gloria Patri. Alleluja.

In secundo Nocturno, Antiph.

Tuam Lanceam adoramus Domine : & tuam gloriosam passionem recolimus, allel.

Psal. Cùm invocarem. Verba mea auribus percipe. Domine Dominus noster. Y. Verè linguas

nostros ipse tulit, alleluja. Rx. Et dolores nostros ipse portavit, allel.

Sermo Innocentii Papæ sexti.

In Decreto, de Festo Lanceæ, & Clavorum Domini.

Lectio IV.

IN Redemptoris nostri Domini Jesu Christi sacratissima passione, sic nos gloriarī oportet, ut ipsius passionis cuncta mysteria dinumerantes & merita, singulis etiam ejus salutaribus instrumentis gloriamur. Inter quæ illud celebriter memorandum est : quod ipse Salvator emissio in Cruce jam spiritu, sustinuit perforari Lancea latus suum, ut inde sanguinis & aquæ profluentibus undis, for-

maretur unica & immaculata ac virgo sancta mater Ecclesia sponsa sua. O beatissima ipsius sacri lateris apertura, unde nobis tot & tanta divinæ pietatis dona fluxerunt! O felix Lancea, quæ tot bona nobis efficere, & ad tanti triumphus gloriam meruit superaddi!

R. Surge virgo Ecclesia, sponso redde munia: tui clavi gratia imprimunt vestigia, per quæ ruit infernalis Sisara.

* Nam clavum Jahel malleo fixit in ejus tempora, alleluja, alleluja. V. Dulces clavi pungite corda nostra. Nam.

Lectio V.

HÆc latus ipsum aperiendo, sacratissimas januas nobis regni cœlestis aperuit. Hæc vulnerando jam mortuum, vulnera nostra sanavit, vitamque nobis reddidit, & salutem. Hæc innoxium transfigendo, illius sanguine culpas nostras absterfit; & demùm ejusdem sacratissimis undis irrigata, cæcitatæ nostræ tenebras sustulit, & nos ipsius divinæ pietatis fluviis mundavit. Illi etiam dulces Clavi, quibus ipse Salvator eidem Cruci fuit affixus, quique non solum immaculato respergi sanguine, & molem ferre tanti ponderis meruerunt, sed & nos etiam per ipsorum salutiferas pla-

gas dulcedinem tantam ipsius divinæ charitatis accepimus, ut manus nostræ à peccatis solutæ nexibus, pedesque nostri à mortis laqueis fuerint liberati, sunt devotissimè recolendi.

R. Hasta nitet margaritis nimis coruscantibus, * Alleluja, alleluja, alleluja.

Y. Mucro gemmis infinitis sanguine vernantibus. Alleluja.

Lectio VI.

Quid enim vulnere & plagis hujusmodi sanctius? Quid eis salubrius, ex quibus salus nostra processit, & in quibus assiduè se possunt curare animæ devotorum? Licet igitur Lancea, & Clavi prædicti, aliæque ipsius passionis salutaria instrumenta sint à cunctis fidelibus Christi ubilibet veneranda, & de ipsa etiam passione in eadem Ecclesia solemnibus annis singulis officia celebrentur, & fiant: dignum tamen & conveniens reputamus, si de ipsius passionis specialibus instrumentis, & præsertim in partibus, in quibus instrumenta ipsa dicuntur haberi, solemne ac speciale festum celebretur, & fiat: Nosque illos fideles Christi, qui aliqua ex instrumentis ipsis habere se gaudent, in eorum devotione,
di-

divinis officiis, atque muneribus specialiter foveamus.

R. JESUS nostra spes suavis ab uberibus, * Alleluja, alleluja, alleluja.

Y. Pro nobis fossus Clavis in palmis atque pedibus. Alleluja. Gloria Patri. allel.

In tertio Noct. Aña.

Tu Christe nostrum gaudium, de Lanceato latere, da oris mellicidium, ardenti corde fugere, alleluja.

Psalms. Cantate. i. Dñs regnavit. Cantate. ii. *de Comuni Virg.*

Y. Omnis terra adoret te, & psallat tibi, alleluja.

R. Psalmum dicat nomini tuo Dñe, allel.

Lectio VII.

Lectio S. Evangelii secundum Joan. C. 19.

IN illo tempore, Sciens JESUS, quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tract. 120. in Joann.

UNUS militum Lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis & aqua. Vigilanti verbo Evangelista usus est, ut non diceret: Latus ejus percussit, aut vulneravit, aut quid aliud, sed aperuit: ut illud quodammodo vitæ ostium panderetur, unde Sacramenta ma-

naverunt, sine quibus ad vitam, quæ vera vita est, non intratur. Ille sanguis, qui fusus est, in remissionem fusus est peccatorum. Atque illa salutare temperat poculum, hæc & lavacrum præstat & potum. Hoc prænuntiabat, quod Noë in latere arcæ ostium facere iussus est, quo intrarent animalia, quæ non erant diluvio peritura, quibus figurabatur Ecclesia.

R. Vibrans miles lanceam acutissimam aperuit templum sanctum gloriæ Dei: * In quo habitat plenitudo Divinitatis, alleluja, alleluja. V. Ibi abscondita est fortitudo ejus: ante faciem ejus ibit mors. In quo.

Lectio VIII.

PROPTER hoc prima mulier facta est de latere viri dormientis, & appellata est vita, materque vivorum, magnumque signavit bonum ante magnum prævaricationis malum; & secundus Adam inclinato capite in Cruce dormivit, ut inde formaretur ei conjux, quæ de latere dormientis effluxit. O mors, unde mortui reviviscunt! quid isto sanguine mundius? quid vulnere isto salubrius? Facta sunt enim hæc, inquit, ut Scriptura impleretur: Os non comminuetis

ex eo. Et iterum alia Scriptura dicit : Videbunt in quem transfixerunt.

R. Tuam Lanceam adoramus Domine, alleluja : tuam gloriosam recolimus passionem, * Alleluja, alleluja, alleluja.

V. Hasta Regem gloriae cruentavit Christum. Alleluja.

Gloria Parti. Alleluja.

Lectio IX.

DUo testimonia de Scripturis singulis reddidit, quasi facta fuissent, narrauit. Nam quia dixerat : Ad IESUM autem cum venissent, ut viderunt eum iam mortuum, non fregerunt ejus crura ; ad hoc pertinet testimonium : Os non comminuetis ex eo : quod praeceptum est eis, qui celebrare Pascha iussi sunt, ovis immolatione, in veteri lege, quae Dominicae passionis umbra praecesserat. Unde Pascha nostrum immolatus est Christus : de quo Isaias Propheta dixerat : sicut ovis ad occisionem ductus est. Item : quia subjunxerat, dicens : Sed unus militum Lancea latus ejus aperuit, ad hoc pertinet alterum testimonium : Videbunt in quem transfixerunt. Ubi promissus est Christus, in ea, qua crucifixus est carne, venturus.

Te Deum laudamus.

AD LAUDES

Et per Horas, Antiph.

HAsta Regem gloriæ Christum cruentavit, dum crucis in arbore Dominus regnavit, alleluja.

Psalm. Dominus regnavit. *cum reliquis de Dominica.*

Añã. Hanc tremendam Lanceam omnes adoremus, & in ejus laudibus semper jubilemus, alleluja.

Añã. Unus militum Lancea latus ejus aperuit, & continuò exivit sanguis & aqua, alleluja.

Añã. Fui mortuus, & ecce sum vivens in sæcula sæculorum, alleluja.

Añã. Sempiterna gaudia Christus tunc donavit, cum Clavis & Lancea mortem superavit, alleluja.

Capitalum. Sumet Dominus. *ut sup.*

Hymnus.

Verbum supernum prodiens

Salvare quod perierat,

Hasta Clavisque moriens

Complevit ad quod venerat.

O gloriosa Lancea!

Timor tremorque dæmonum;

Regna pandis fiderea,

Per sanctæ necis meritum.

De Clavorum stigmatibus

Ema-

Emanat mundi pretium,
E cunctis aromatibus
Spirans odorem cælicum.
In corde Christi mergitur,
Mucro leone sævior :
De forti fons exoritur
Cibúsque melle dulcior.
In natum Pater phialam
Effudit iracundiæ,
Ut nobis cenam maximam
Gratis suæ det gloriæ.
O Christe nostrum gaudium,
De vulnerato latere
Da lac, & vinum depluum
Ardente corde fugere.
Precamur, Auctor omnium :
Tu nostra sis refectio :
Tuorum quoque meritum
Armorum, sit protectio. Amen.
V. Per sanctam Lanceam de inimicis no-
stris, alleluja. R. Libera nos Deus no-
ster, alleluja.

Ad Benedictus, Antiphona.

O felix & omni laude digna Lancea
Salvatoris, quæ pertransiens latus ejus,
chirographum peccati affixit patibulo
Crucis, alleluja.

Oratio Deus, qui in assumptæ carnis.
ut supra.

Ad Primam, Antiphona.

Hasta Regem gloriæ. *Psalm.* Deus in nomine tuo. *cum reliquis de Psalterio.*

Capitulum. Regi sæculorum.

R. Breve. Christe Fili Dei vivi, misere nobis, * Allel. allel. Christe Fili Dei.

V. Qui vulneratus es pro nobis.

R. Alleluja, alleluja.

V. Gloria Patri. *R.* Christe &c.

Ad Absolutionem Capituli,

Lectio brevis. Ego sum primus. *ut infra ad Nonam.*

Ad Tertiam, Antiphona.

Hanc tremendam Lanceam.

Capitulum. Sumet Dominus.

R. breve. Apprehende arma, & scutum, * Alleluja, alleluja. Apprehende arma. *V.* Et exurge in adiutorium mihi. Alleluja, alleluja.

V. Gloria Patri. Apprehende arma.

V. Foderunt manus meas & pedes meos, alleluja. *R.* Dinumeraverunt omnia ossa mea, alleluja.

Ad Sextam, Añã. Unus militum. *Capitulum.* *Apoc. i.*

GRratia vobis, & pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est, & à Jesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, & princeps regum

gum terræ: qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo.

R. *brev.* Foderunt manus meas, & pedes meos, * Allel, allel. Foderunt. V. Dinumeraverunt omnia ossa mea. Alleluja. V. Gloria Patri. Foderunt.

V. Quem tu percussisti, persecuti sunt, Alleluja.

R. Et super dolorem vulnerum meorum addiderunt, alleluja.

Ad Nonam, Aña. Sempiterna gaudia. Capitulum. Apoc. 1.

EGO sum primus & novissimus, & vivus, & fui mortuus: & ecce sum vivens in sæcula sæculorum.

R. *brev.* Quem tu percussisti, persecuti sunt, * Allel. alle. Quem tu percussisti. V. Et super dolorem vulnerum meorum addiderunt. Alleluja, alleluja. V. Gloria Patri. Quem tu percussisti.

V. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, alleluja.

R. Attritus est propter scelera nostra, alleluja.

In secundis Vesperis, omnia ut in primis, & loco ultimi, Psalm. Credidi.

Ad Magnificat, Antiphona.

Collaudemus Christi clementiam, qui per gloriosos Clavos & Lanceam dat

Ecclesiæ de inimicis victoriam, & in cœlo vitam & coronam perpetuam, allel.

DIE XV. APRILIS.

*In Festo Transl. S. OTHMARI Abbatis-
Oratio.*

DEus, qui nos beati Othmari Abbatis annua solemnitate lætificas: concede propitius, ut cujus Translationem colimus, etiam actiones imitemur. Per Dominum, &c.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

DEcennio post sancti Othmari obitum decurso, Fratres Religiosi de sacro ejus corpore ad Monasterium transfere-
rendo cœlesti quodam visu admoniti, curæ habebant, ut id quàm primùm effectui darent. Noctu itaq; proficiscuntur eorum undecim ad Insulam, ubi sepulchrum erat: quo aperto, corpus reperiunt incorruptum præter extremam pedis unius partem, quam aqua alluens colore quasi tabido infectam ostendebat. Mox sacrum thesaurum indè sublatum debito honore, ac veneratione navi imponunt duobus accensis cereis, uno ad pedes, ad caput altero positis: atque ita re feliciter confectâ celerrimè parant reditum summo gaudio perfusi.

Lect.

Lectio V.

NAvi littore solutâ altiùs jam profecti cùm remis vi omni incumberent, ecce tibi tantâ de repenti cœli obruuntur inclementiâ, ut iis aded furens tempestas, & cursûs, & salutis etiam spem propè omnem adimeret. Sed miro Dei favore, dubio procul ob sancti Viri merita, cujus sacras vehebant reliquias, ita temperatus est navigationis cursus, ut quamvis lacus pluviis procellisque agitated effervereret, suis tamen decumanis fluctibus nihil navigantibus facefferet negotij: navis verò omnem sævientium undarum impetum eludens, ne vel unam pluiarum, aut assilientium fluctuum guttam hauriens rectum cursum teneret, & quod magis mireris, cerei sacris pignoribus appositi, lumen, quod primitus acceperunt, inextinctum retinerent, obsequium in ea re suum, ad Monasterium usque, Sancto gratificati.

Lectio VI.

HOc etiam turbæ nauticæ magno, & prodigio fuit, & solatio, quòd dum labore navigandi primitus multum jam defessa, cibo potuque vires reficere vellet, & potionis superesset nihil, nisi parva lagena quantum levandæ uni-
us

us siti vix fatis foret : ipsis tamen neque Dei beneficium sitientibus defuerit, nec sancti Othmari patrociniū : Ubi enim quidquid inerat lagenulæ liquoris partiendo cceptum est effundi, singulis illa potionis abundè fluxu continuo supeditavit. Refectis indè corporibus, reliquum iter profecuti, portum tandem feliciter subierunt, ubi à fratribus obviàm venientibus sacrum Corpus summo honore acceptum, festivo plausu Monasterio fuit illatum, atque inter Aram sancti Joannis Baptistæ, & parietem solemni ritu depositum. Quem locum Deus sancti Othmari meritis, & patrociniū plurimis nobilitavit miraculis.

In tertio Nocturno, Homilia in Evang. Ecce nos reliquimus omnia. De Comuni Abbatum.

DIE XXIV. APRILIS.

In Festo S. FIDELIS à Sigmaringen, Capuc. Mart. Duplex minus.

Oratio.

DEus, qui beatum Fidelem, Seraphico Spiritûs ardore succensum, in veræ fidei propagatione martyrii palma, & gloriosis miraculis decorare dignatus es: ejus quæsumus, meritis & intercessione
ita

ita nos per gratiam tuam in fide & charitate confirma, ut in servitio tuo fideles usque ad mortem inveniri mereamur. Per Dominum.

In secundo Nocturno, Lect. IV.

Fidelis in oppido Sueviæ, Sigmaringa ex honesta Reyorum familia natus, ab ineunte ætate singularibus naturæ, & gratiæ donis ornatus præfulsit. Egregiam quippe sortitus indolem, morumque optima imbutus disciplina, dum Friburgi Philosophiæ, & Juris utriusque lauream emeruit, in schola etiam Christi ad perfectionis apicem sedulo virtutum exercitio contendere cœpit. Nobilium exinde virorum, varias Europæ Provincias lustrantium comes adscitus, eos ad Christianam pietatem sectandam tam verbis, quam operibus excitare non destitit. Quinimò in eodem itinere crebris austeritatibus desideria carnis mortificare, ac ita seipsum regere studuit, ut in tanta rerum vicissitudine nullo unquam visus fuerit iræ motu perturbari. Juris prætereà, & Justitiæ strenuus propugnator post reditum in germaniam celebre sibi nomen acquisivit in Advocati munere, in quo tamen cùm fori pericula esset expertus, tutiorem æternæ salutis viam ingredi de-

li-

liberavit, & superna vocatione illustratus: paulò post ordini Seraphico inter Patres Minores Capucinos adscribi petiit.

Lectio V.

Plæ petitionis compos redditus, mundi suiq̄ue contemptor insignis, in ipso statim tyrocinio; magisque cum solemnis professionis vota in gaudio spiritus Domino nuncupasset, in Regulari observantia omnibus admirationi fuit, ac exemplo. Orationi maximè, & sacris literis vacans, in verbi quoque ministerio singulari gratia excellens nedum Catholicos ad meliorem frugem, verùm etiam Heterodoxos ad veritatis cognitionem attraxit. Pluribus in locis Cœnobii Præfectus constitutus, prudentia, iustitia, mansuetudine, discretione, & humilitatis laude, munus sibi demandatum exercuit. Arctissimæ paupertatis zelator egregius, quidquid vel minus necessarium videretur, è Cœnobio penitus eliminavit. Inter austera jejunia, vigiliæ, & flagella salutari seipsum prosequens odio, in alios amorem, quasi mater in filios, ostendit. Cùm pestifera febris Austriacas militares copias dirè affligeret, ipse in extremis infirmorum in-

di-

digentiis ad assidua charitatis officia toto spiritu incubuit. In componendis etiam animorum diffidiis, aliisque proximi necessitatibus sublevandis consilio, & opere, adeò præclarè se gessit, ut Pater patriæ meruerit appellari.

Lectio VI.

DEiparæ Virginis, & Rosarii cultor eximius, illius præcipuè aliorumque Sanctorum Patrociniis à DEO postulavit, ut in Catholicæ fidei obsequium vitam sibi, & sanguinem fundere liceret. Cumque ardens hoc desiderium in quotidiana Sacri devota celebratione magis accenderetur, mira Dei providentia factum est, ut fortis Christi athleta Præses eligeretur illarum Missionum, quas Congregatio de propaganda fide pro Rhætia tunc temporis instituerat. Quod arduum munus prompto, hilarique animo suscipiens, tanto fervore executus est, ut pluribus hæreticis ad orthodoxam fidem conversis, spes non modica effulserit, totius illius gentis Ecclesiæ, & Christo reconciliandæ. Prophetiæ dono præditus: futuras Rhætiae calamitates, sui que necem ab hæreticis inferendam sæpius prædixit. Postquam verò insidiarum probè conscius, impenden-

denti agoni se præparâsset, die vigesimo quarto Aprilis anno millesimo sexcentesimo vigesimo secundo ad Ecclesiam Loci, Sevifium nuncupati, se contulit, ubi ab hæreticis, qui pridie conversionem simulantes cum dolosè ad prædicandum invitaverant, concione tumultuariè interrupta, per verbera, & vulnera, eidem crudeliter inflicta, gloriosam mortem magno & alacri corde perpeffus, primitias Martyrum memoratæ Congregationis proprio sanguine consecravit, pluribus signis, & miraculis exinde clarus, præsertim Curiæ & Veldkirchii, ubi summa Populi veneratione illius Reliquiæ asservantur.

*In tertio Nocturno, Homilia in Evangel.
Ego sum vitis vera.*

DIE XXVIII APRILIS.

*In Festo S. TRUDPERTI Mart. Dupl.
Oratio.*

PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut intercedente beato Trudper-to Martyre tuo, & à cunctis adversitatibus liberemur in corpore, & à pravis cogitationibus mundemur in mente. Per Dominum.

In

*In secundo Nocturno.**Lectio IV.*

TRudpertus genere Scotus, regiaque stirpe profectus, Religionis causa, Theodoro post Joañem hoc nomnie quartum Pontifice Maximo, Romam divino amore incensus se contulit, ubi omnia urbis loca sanctitate conspicua circumiens, flagrantissimo pietatis affectu venerabatur. Inde in patriam rediens, quam vitæ suæ rationem institueret, eo in itinere seriò cogitare cœpit. Et verò magni illius Patriarchæ Abrahæ exemplum sequi decernens, omnibus hujus sæculi divitiis, propinquis, patrioque solo ob Christi amorem relictis, in solitarium quemdam Brisgojæ locum contemplationi aptissimum impetrata ab Othberto Habsburgensis familiæ Domino loci licentia habitandi: se recepit, ubi in hunc usque diem Monasterium ejus nomine insignitum invisitur.

Lectio V.

Othberto, à quo prædictum locum dono acceperat, ob ejus singulares virtutes charus mirum in modum fuit: quinimo auxiliis opibusque ejus adjutus, Monasterium ibidem construxit. Tanta

autem humilitate præditus dicitur, ut iis, qui in ædificio construendo operam dabant, ministrare non erubuerit. Orationi instanter vacabat, castitatem perpetuò coluit, jejuniis, vigiliisque corpus macerare non desistebat, mentem divinis contemplationibus assiduè exercuit. Hoc præter cætera habuit, ut Dei amore repleti vehementissimè fitiret. Ecclesiam prætereà suis manibus ac laboribus magnis ædificare aggressus, opere, formaque notabili perfecit, quam sanctorum Apostolorum Petri & Pauli nomine Martinus Constantiensis Episcopus solemni ritu consecravit.

Lect. VI.

Quibus rebus feliciter confectis, humani generis hostis sanctissimum virum Trudpertum, insignem Christi militem frequentius more suo ex insidiis aggressus, variis tentationibus oppugnabat, quas ille jejunio & oratione superabat, hisce pietatis armis invictus. Advertens verò dæmon se in eo vincendo operam perdere, timuit, ne si diu viveret hic Christi Athleta, majores de ipso quotidie reportaret triumphos, idè immisit in quorundam hominum scelestorum animos ejus interimendi consili-

filium, quo inducti innocentissimum virum per insidias interfecerunt sexto Kalendaras Maji, anno post Christum natum sexcentesimo quadragesimo tertio. Ejus corpus Othbertus honorificè (ut Sanctum Martyrem decebat) sepeliendum curavit. Anno autem septingentesimo septuagesimo cum ejus sanctissimam vitam ac miracula, quæ cooperante Domino, & ante & post martyrium multa edidit, diligenter Stephanus tertius Pontifex Maximus cognovisset; solemniter illum in beatorum Martyrum numerum retulit.

In tertio Nocturno, Homilia in Evangel.
Ego sum vitis vera.

DIE XVI. MAJI.

In Festo S. JOANNIS Nepomuceni Martyris Duplex.

Ad Vesperas, & Laudes, & per Horas, Antiphona.

Interrogabat eum Rex multis sermonibus; at ipse nihil illi respondebat.

Psalms. ut in Dominica, & loco ultimi, Psalm. Laudate Dominum omnes Gentes.

Antiphona. Rex dixit: Ne abscondas à me verbum, quod te interrogo. Di-

xi : Secretum meum mihi. Secretum meum mihi.

Antiph. Affirmabat Rex, se divitem, & beatum facturum. Non obedio præcepto Regis, sed præcepto Legis, quæ data est nobis.

Antiph. Tunc Rex accensus ira in hunc super omnes crudeliùs delæviit.

Antiph. Beatus, qui lingua sua non est lapsus, & qui non servivit indignis se.

Capitulum Eccli. 21.v. 28.

LAbia imprudentium stulta narrabunt :
verba autem prudentium statim ponderabuntur. In ore fatuorum cor illorum : & in corde sapientium os illorum.

Hymnus.

INvictus Heros Numinis,
Mergendus unda fluminis,
Stat fortis in silentio,
Dum fit sigilli mentio.

Hinc Rex minatur funera,
Hinc tortor infert vulnera,
Manus ligantur funibus,
Artus cremantur ignibus.

Sed hæc Joannes despicit,
Nec Regis iram respicit ;
Secreta non vult pandere,
Horret sigillum frangere.

Stat mutus Agnus innocens,

Nil

Nil de tegendis proferens :
Stat ; dumque Rex nil elicit ,
E ponte Justum dejicit.

Præceps ab alto sternitur ,
Undis profundis mergitur :
Mersum sed applaudentibus
Unde salutant ignibus.

Stellæ natant in flumine :
Illi parentant lumine :
Docetque Cæli claritas ,
Quæ sit Joannis charitas.

Da, sempiterna Trinitas ,
Ut in bono sit firmitas ;
Aut lacrymarum flumina
Mergant cadentum crimina.

Amen.

Y. Sacramentum Regis abscondere bonum est.

R. Opera autem Dei revelare honorificum.

Ad Magnificat, Antiphona.

Dedit mihi Dominus linguam mercedem meam : & in ipsa laudabo eum.

Oratio.

DEUS, qui ob invictum beati Joannis Sacramentale silentium nova Ecclesiam tuam Martyrii corona decorasti : da nobis ejus intercessione, & exemplo, linguam cautè custodire, ac omnia potius

tiùs mala, quàm animæ detrimentum in
hoc sæculo tolerare. Per Dominum no-
strum.

Ad Matutinum, Hymnus.

IN profunda noctis umbra,

Et gravi caligine,

Lustrat ædem flamma munda,

Sic jubente Numine.

Nocte nascitur Joannes,

Astra Cælo devolant:

Nocte mergitur Joannes,

Astra funus apparant.

Hinc cor ejus igne flagrans,

Fortis urit charitas:

Hinc ab ejus ore manans,

Mira prodit suavitas.

Nunc amore cor bonorum

Ad salutem pertrahit:

Nunc timore cor malorum

A gehenna retrahit.

Pauperes solatur ære,

Derelictis subvenit:

Non finit justos jacere:

Damna famæ præpedit.

Per Joannis Sanctitatem,

O beata Trinitas!

Mentibus da puritatem:

Corde regnet charitas,

Amen.

In primo Nocturno, Antiphona.

Erit lumen Israël in igne, & Sanctus
ejus in flamma.

Psalmi omnes ut in Communi unius Mart.

Antiph. Sanavit Dominus puerum, &
reddidit illum Patri ejus.

Antiph. Puer autem erat minister in
conspectu Domini, ante faciem Sacer-
dotis.

Y. Sacramentum Regis abscondere bo-
num est.

Rc. Opera autem Dei revelare honori-
ficum.

Lectio I.

De libro Ecclesiastici. c. 21. v. 26.

Stultus à fenestra respiciet in domum:
vir autem eruditus foris stabit. Stul-
titia hominis auscultare per ostium: &
prudens gravabitur contumelia. Labia
imprudentium stulta narrabunt: verba au-
tem prudentium statera ponderabuntur.
In ore fatuorum cor illorum: & in cor-
de sapientium os illorum. Dum male-
dicit impius diabolum, maledicit ipse
animam suam. Sufurro coinquinabit
animam suam, & in omnibus odietur:
& qui cum eo manserit, odiosus erit:
tacitus & sensatus honorabitur.

R. Metuebat Rex Joannem, * Sciens eum virum justum, & sanctum.

Y. Et custodiebat eum, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat. Sciens. c. 28. v. 21.

Lect. II.

Flagelli plaga livorem facit : plaga autem linguæ comminuet ossa. Multi ceciderunt in ore gladii : sed non sic quasi qui interierunt per linguam suam. Beatus qui tectus est à lingua nequam, qui in iracundiam illius non transivit, & qui non attraxit jugum illius, & in vinculis ejus non est ligatus. Jugum enim illius jugum ferreum est : & vinculum illius vinculum æreum est. Mors illius mors nequissima : & utilis potius infernus, quàm illa.

R. Lex veritatis fuit in ore ejus, & iniquitas non est inventa in labiis ejus : in pace, & in æquitate ambulavit mecum. * Et multos avertit ab iniquitate. Y. Labia enim Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus. Et multos.

Lectio III.

Perfeverantia illius non permanebit, sed obrinebit vias injustorum : & in flamma sua non comburet justos. Qui
reli-

relinquunt Deum, incident in illam, & exardebit in illis, & non extinguetur: & immittetur in illos quasi leo, & quasi pardus lædet illos. Sepi aures tuas spinis; linguam nequam noli audire: & ori tuo facito ostia, & seras. Aurum tuum, & argentum tuum conlla, & verbis tuis facito stateram, & frenos orituo rectos, & & attende, ne forte labaris in lingua, & cadas in conspectu inimicorum insidianarium tibi, & sit casus tuus insanabilis in mortem.

Rx. Sepivi aures meas spinis, * & ori meo feci ostia & seras. V. Beatus, qui lingua sua non est lapsus, & qui non servivit indignis se. Et ori. Gloria Patri. Et ori.

In secundo Nocturno, Antiphona.

NON quæsit à Domino Ducatum, neque à Rege cathedram honoris.

Antiph. Loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum, & non confundebar.

Antiph. Amplius non videbitis faciem meam vos, per quos transivi prædicans Regnum Dei.

V. Pone Dñe custodiam ori meo.

Rx. Et ostium circumstantiæ labiis meis.

Lect. IV.

JOannes Nepomuci Bohemiæ Oppido, unde Nepomuceni cognomen duxit,

C 5

à pa-

à parentibus ætate provectis non sine futura Sanctitatis præfagio, flammis supra nascentis domum mirabiliter collucentibus, ortus est. Cùm infans in gravem morbum incidisset, beatæ Virginis ope, cui natum parentes referebant acceptum, è vitæ periculo evasit incolumis. Egregia indole, pique institutione cœlestibus indiciis obsequente, inter sanctas, Religiosasque exercitationes pueritiam egit; nam Ecclesiam frequenter adire, ac Sacerdotibus ad aras operantibus ministrare in deliciis habebat. Zatecii politioribus litteris ad humanitatem informatus, Pragæ verò gravioribus disciplinis excultus, Philosophiæ, Theologiæ, Sacrorumque Canonum Magisterium, & lauream emeruit. Sacerdotio initiatus, atque à scientia Sanctorum ad lucra animarum ritè comparatus, ministerio verbi Dei se penitè addixit. Cùm igitur in vitiis extirpandis, & revocandis in viam salutis errantibus eloquentia, & pietate uberes ederet fructus, inter Canonicos Metropolitanæ Ecclesiæ Pragensis cooptatus, mox sibi demandatam Evangelii coram Rege Wenceslao IV. prædicandi provinciam suscepit, eo successu, ut Joannis suafu multa Rex faceret, magno.

gnoque in honore ejus virtutes haberet. Conspicuas tamen, quas ille obtulit, dignitates, Dei Servus, ne à divini verbi præconio avocaretur, constantissimè recusavit.

R. Instans orationi, & ministerio Verbi hortabatur omnes in proposito cordis permanere in Domino.

* Quia erat vir bonus, & plenus Spiritu sancto. V. Et apponebatur multa turba Domino. Quia erat.

Lect. V.

Regis illum eleemosynis in pauperes erogandis præfectum Joanna Regina, ex Serenissima Ducali domo Bavariæ oriunda, conscientiæ sibi moderatorem adscivit. Cùm autem Wenceslaus ab officio, institutoque decessisset, atque in vitia præceps abriperetur; piæ verò conjugis obtestationes, & monita gravatè ferret, contendere ausus est, ut in Sacramentali judicio Sacerdoti creditæ Reginæ arcana sibi à Joanne panderentur. At Dei Minister blanditiis primùm, tormentis deinde, & carceris squalore tentatus, nefariæ Regis cupiditati fortiter obstitit. Furentem tamen Wenceslai animum, cùm ab execrando proposito nec humana, nec divina jura deter-

re-

rerent, supremum agonem, quem instare sibi Athleta Christi noverat, populo in concione de impendentibus etiam Regni calamitatibus admonito, non obscure prænuntiavit. Mox Boleslaviam profectus, ad B. Virginis imaginem, antiquo cultu celebrem, cœleste præsidium ad certandum bonum certamen effusis precibus imploravit. Inde vesperi revertentem in pervigilio Dominicæ Ascensionis Rex è fenestra conspicatus accersit, cumque vehementiùs urgeret, & proximam in aquis, si obluçtari pergeret, submersionem intentaret, Joannes invicta constantia terrores, minasque refutavit. Itaque Regis imperio in Moldavam flumen Pragam interfluens noctu dejectus, illustrem Martyrii coronam est consecutus.

R. Dispersit, dedit pauperibus: * Justitia ejus manet in sæculum sæculi.

V. Beatus, qui intelligit super egenum, & pauperem. Justitia.

Lectio VI.

SAcrilegum facinus clàm patratum, & Martyris gloriam insigne prodigium divinitus patefecit. Ubi enim exanime corpus secundo flumine vehi cœpit, ardentes faces aquis supernatantes, & discur-

scurrentes apparuerunt. Quamobrem ex arena postridie manè Corpus elatum Canonici deinde, Regis iram nihil timentes, in Metropolitanam Ecclesiam solemnè pompa intulerunt, & sepulturæ mandarunt. Cùm autem in dies invicti Sacerdotis memoria miraculis, & maxima fidelium, eorum præcipuè, qui fama periclitantur, veneratione cresceret, post annos demum amplius trecentos, in juridica recognitione Corporis, quod sub humo tamdiu jacuerat, lingua ejus incorrupta, & vivida reperta est, quæ sexto post anno Judicibus à Sede Apostolica delegatis exhibita, novo prodigio repente intumuit, & subobscurum ruborem in purpureum commutavit. His itaque aliisque signis ritè probatis, Benedictus XIII. Pontifex Maximus die decima nona mensis Martii, Anno salutis millesimo septingentesimo vigesimo nono, primum hunc sacramentalis sigilli assertorem, Arcani fidem sanguine obfignantem, Sanctorum Martyrum Catalogo adscripsit.

R. Ego scio, quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. * Propter quod vigilate.

Ÿ. Et ex vobis ipsis exsurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se. Propter. Gloria Patri. Propter.

In tertio Nocturno, Antiphona.

Igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas.

Antiph. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.

Antiph. Transivi per ignem, & aquam, & eduxisti me in refrigerium.

Ÿ. Dixi: Custodiam vias meas.

Rc. Ut non delinquam in lingua mea.

Lectio. VII.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum c. 11. v. 2.

In illo tempore: Cùm audisset Joannes in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.

In Evangelia Homil. 6.

Dimissis Joannis Discipulis, quid de eodem Joanne turbis dicat, audiamus: Quid existis videre in deserto? Arundinem vento agiatam; Quod videlicet, non asserendo, sed negando intulit. A-

run-

rundinem quippe mox, ut aura contingerit, in partem alteram inflectit. Et quid per arundinem, nisi carnalis animus designatur? Qui mox ut favore, vel detractio tangitur, statim in partem quamlibet inclinatur. Si enim ab humano ore aura favoris flaverit, hilarescit, & extollitur: sed si inde ventus detractio eruperit, unde aura laudis veniebat, mox hunc quasi in partem alteram ad vim furoris inclinatur.

Rc. Cùm corripere ab illo de omnibus malis, quæ fecit Rex, adjecit & hoc:
* Et inclusit Joannem in carcere.

Y. Laboro usque ad vincula, quasi malè operans; sed verbum Dei non est alligatum. Et inclusit.

Lectio VIII.

Sed arundo agitata vento Joannes non erat; quia hunc nec blandum gratia, nec cujuslibet detractiois ira asperum faciebat; nec prospera hunc erigere, nec adversa noverant inclinare. Arundo ergò vento agitata non erat, quem à status sui rectitudine nulla rerum varietas inflectebat. Discamus ergò, fratres charissimi, arundo vento agitata non esse: solidemus animum inter auras linguarum positum: stet inflexibilis status

ambus men-

mentis. Nulla nos detractio ad iram provocet, atque ad remissionem inutilis gratiæ nullus favor inclinet. Non nos prospera elevent, non adversa perturbent: ut qui in soliditate fidei figimur, nequaquam rerum transeuntium mobilitate moveamur.

R. Reddidit Deus Justo mercedem laborum suorum, & deduxit illum in via mirabili. * Et fuit illi in velamento diei, & in luce stellarum per noctem.

V. Transvexit illum per aquam nimiam, inimicos autem illius demersit. Et fuit. Gloria Patri. Et fuit.

Lectio IX.

ADhuc autem de ejus expressione subjungitur: sed quid existis videre in deserto? hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. Camelorum enim pilis, ut scitis, vestitus Joannes fuisse describitur. Et quid est dicere: Ecce, qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt; nisi aperta sententia demonstrare, quia non cœlesti, sed terreno Regi militant ii, qui pro Deo perpeti aspera fugiunt, & solis exterioribus dediti, præsentis vitæ mollitiem, & delectationem quærunt?

Te Deum laudamus.

Ad

Ad Laudes, Hymnus.

Vix in sepulchro conditur,
Signis Joannes proditur;
Per cratium repagula,
Intermicant miracula.

Hic ejus hostes illico
Pudore mæsti publico,
Ultrice dextrâ Numinis,
Pœnas rependunt criminis.

Hic damna rerum flentibus,
Famæve conquerentibus,
Abducta res revertitur,
Ablata fama redditur.

Hic corpus ægritudines,
Tempus vicissitudines,
Periculum securitas,
Mortem fugit mortalitas.

Hic viva Lingua Martyris,
Sed muta, voce sanguinis
Clamans, ut Abel, improbat,
Regique crimen exprobrat.

Unius, ô! da Trinitas,
Triumque simplex Unitas,
Ut qui Joanni supplicant,
Id impetrent, quod flagitant.

Amen.

Ÿ. Posui ori meo custodiam.

℞. Cùm consisteret peccator ad-
sum me.

D

Ad

Ad Benedictus, Antiphona.

Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.

Oratio. Deus, qui ob invictum. *ut supra.*

Ad Tertiam, Capitulum Eccli. 21. v. 28.

Labia imprudentium stulta narrabunt; verba autem prudentium statim ponderabuntur. In ore fatuorum cor illorum: & in corde sapientium os illorum.

Rc. brev. Sacramentum Regis * abscondere bonum est. Sacramentum Regis.

Y. Opera autem Dei revelare honorificum. Abscondere. Gloria Patri. Sacramentum Regis. *Y.* Pone Domine, custodiam ori meo. *Rc.* Et ostium circumstantiæ labiis meis.

Ad Sextam. Capitulum. Eccli. 28. v. 28.

Sepi aures tuas spinis, linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia & seras.

Rc. brev. Pone Domine * Custodiam ori meo. Pone Domine. *Y.* Et ostium circumstantiæ labiis meis. Custodiam. Gloria Patri. Pone.

Y. Dixi: Custodiam vias meas.

Rc. Ut non delinquam in lingua mea.

Ad

Ad Nonam, Capitulum. Eccli. 28. v. 29.

Aurum tuum & argentum tuum conflu,
& verbis tuis facito stateram, & frenos
ori tuo rectos : & attende, ne forte
labaris in lingua.

R. brev. Dixi : * Custodiam vias meas.
Dixi. *Y.* Ut non delinquam in lingua
mea. Custodiam. Gloria Patri. Dixi.
Y. Posui ori meo custodiam. *R.* Cùm
consisteret peccator adversum me.

Ad Vesperas.

Omnia ut in 1. Vesp. loco ultimi Psal.
Credidi &c.

Hymnus.

Jam faces Licetor ferat, & minantem,
Jam ferox ensem, rabidumque tortis
Vinculis ferrum, sacra ni Sacerdos,
Abdita pandat.

Sentiet vires, animæque magnæ
Prodigum pectus : violentus ira
Non quatit recti solida tenacem
Mente Satelles.

En ruit præceps tumulatus undâ
Martyr, & fluctu placido silentem
Naufragus linguam melioris ævi
Servat in usum.

At superjectæ facili natantes
Amne discurrunt, rutilantque circa

Martyrem flammæ: benè gesta plaudens

Ornat Olympus.

Ornat & Linguam, rosei instar ignis.

Vividam servans, & adhuc rubentem,

Indicat quænam fuerit tacentis

Gratia Linguae.

Sit decus Patri, genitæque Proli,

Spiritum laudent, ab utroque puris

Qui calet flammis, sine fine psallens

Orbis uterque. Amen.

Ÿ. Posui ori meo custodiam.

R̄. Cùm confisteret peccator ad-
versum me.

Ad Magnificat, Antiphona.

In conspectu potentium admirabilis
ero, facies Principum mirabuntur me:
tacentem me sustinebunt, & loquentem
me respicient.

OFFICIUM

SANCTISS. CORDIS

DOMINI NOSTRI

JESU CHRISTI.

*Recitandum Feria VI. post Octavam Cor-
poris Christi sub Ritu Duplicis Majoris.*

Ad Vesperas.

*Antiph. Discite à me. Cum reliquis ut
infra ad Laudes.*

Psalm.

Pſalm. Dixit Dominus. *Cum reliquis,*
ut in Vesperis Feſti Ssmi Corporis Chriſti.

Capitulum. Iſaia 12.

ECce DEus Salvator meus, fiducialiter
agam, & non timebo, quia fortitu-
do mea, & laus mea Dominus, & fa-
ctus est mihi in salutem. Haurietis a-
quas in gaudio de fontibus Salvatoris.

Hymnus.

AUctor beate ſæculi,
Chriſte Redemptor omnium,
Lumen Patris de lumine,
Deusque verus de Deo.

Amor coëgit te tuus
Mortale corpus ſumere,
Ut novus Adam redderes,
Quod verus ille abſtulerat.

Ille Amor almus artifex
Terræ, marisque, & ſyderum,
Errata Patrum miſerans.
Et noſtra rumpens vincula.

Non Corde diſcedat tuo
Vis illa amoris inclyti:
Hoc fonte gentes hauriant
Remiſſionis gratiam.

Percuſſum ad hoc eſt lancea,
Paſſumque ad hoc eſt vulnera,
Ut nos lavaret ſordibus
Unda fluente, & ſanguine.

Decus Parenti, & Filio,
 Sanctoque fit Spiritui,
 Quibus potestas, gloria,
 Regnumque in omne est sæculum.

Amen.

Ps. Ignem veni mittere in terram.

R. Et quid volo, nisi ut accendatur?

Ad Magnificat, Antiphona

Improperium expectavit Cor meum,
 & miseriam: & sustinui, qui simul
 contristaretur, & non fuit, & qui con-
 solaretur, & non inveni.

Oratio.

Concede quæsumus, omnipotens De-
 us, ut, qui in sanctissimo dilecti Fi-
 lij tui corde gloriantes, præcipua in nos
 Charitatis ejus beneficia recolimus: eo-
 rum pariter & actu delectemur, & fru-
 ctu. Per Dominum nostrum.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Christum pro nobis passum: Venite
 adoremus.

Psalms. Venite exultemus Domino.

Hymnus.

EN, ut superba criminum,
 Et sæva nostrorum cohors
 Cor fauciavit innocens
 Merentis haud tale Dei!

Vibrantis hastam militis
Peccata nostra dirigunt ;
Ferrumque diræ cuspidis !
Mortale crimen acuit.

Ex corde scisso Ecclesia
Christo jugata nascitur ;
Hoc ostium arcæ in latere est
Genti ad salutem positum.

Ex hoc perennis Gratia ,
Ceus septiformis fluvius ;
Stolas ut illic sordidas
Lavemus Agni in sanguine.

Turpe est redire ad crimina ,
Quæ cor beatum lacerent :
Sed æmulemur cordibus
Flammas amoris indices.

Hoc Christe nobis, hoc Pater,
Hoc sancte dona Spiritus,
Quibus potestas, gloria,
Regnumque in omne est sæculum.
Amen.

In I. Nocturno.

Antiph. Quid est homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum ?

Psalm. Domine Dominus noster. *Cum reliquis ut in Officio parvo B. M. V.*

Antiph. Meditatio Cordis mei in conspectu tuo semper.

Antiph. Elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.

Ÿ. Domine dabis pacem nobis.

℞. Omnia enim opera nostra operatus es nobis.

De Iſaia Propheta. Cap. 12.

Leſtio I.

Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi: conversus est furor tuus, & consolatus es me. Ecce DEus Saluator meus, fiducialiter agam, & non timebo; quia fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. Et dicetis in die illa: confitemini Domino, & invocate Nomen ejus, mementote, quoniam excelsum est Nomen ejus. Cantate Domino, quoniam mirificè fecit: annuntiate hoc in univerſa terra. Exulta, & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Iſraël.

℞. Ego sum panis vitæ: Patres vestri manducaverunt; manna in deserto, & mortui sunt: * Hic est panis de cælo descendens, ut, si quis ex ipſo manducet, non moriatur.

Ÿ. Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi, si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.

Hic est.

Le-

Lectio II. Cap. 26.

IN die illa cantabitur Canticum istud in terra Juda. Urbs fortitudinis nostræ Sion, Salvator ponetur in ea murus, & antemurale. Aperite portas, & ingreditur Gens justa, custodiens veritatem. Vetus error abiit, servabis pacem, pacem, quia in te speravimus. Sperâstis in Domino in sæculis æternis, in Domino DEO forti in perpetuum. Quia incurvabit habitantes in excelsis, civitatem sublimem humiliabit, humiliabit eam usque ad terram.

R. Ecce vidimus eum non habentem speciem, neque decorem: aspectus ejus in eo non est: hic peccata nostra portavit, & pro nobis dolet: ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, * Cujus livore sanati sumus.

Y. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit. Cujus livore.

Lectio III.

Semita justi recta est, rectus callis justi ad ambulandum: & in semita judiciorum tuorum, Domine, sustinimus te: Nomen tuum, & memoriale tuum in desiderio animæ. Anima mea desideravit te in nocte, sed & spiritu meo in

præcordiis meis de mane vigilabo ad te.
Cum feceris judicia tua in terra, justitiam discent habitatores orbis.

Rc. Benedictus Dominus DEus JIsraël, qui facit mirabilia magna solus, * Et benedictum nomen Mejestatis ejus in æternum.

Y. Replebitur Majestate ejus omnis terra, fiat, fiat. Et benedictum.

Gloria Patri. Et benedictum.

In II. Nocturno.

Antiph. Afferentur in lætitia, & exultatione, adducentur in templum Regis.

Antiph. Sanctificavit Tabernaculum suum Altissimus.

Antiph. Sicut lætantium omnium habitatio est in te.

Y. Conversus est furor tuus.

Rc. Et consolatus es me. Pater noster.

De Sermone S. Bernardi Abbatis.

Ser. 3. de Pass.

Lectio IV.

Quia semel venimus ad cor dulcissimum JEsu, bonum est, nos hîc esse, ne sinamus nos facile avelli ab eo, de quo scriptum est: recedentes à te in terra scribentur. Quid autem accedentes? tu ipse doces nos: tu dixisti accedentibus ad te: gaudete, quia nomina vestra scrip-

ta sunt in cœlo. Accedamus ergo ad te, & exultabimus, & lætabimur in te, memores cordis tui. O quàm bonum, & quàm jucundum habitare in corde hoc! quin potius dabo omnia, omnes cogitationes, & affectus mentis commutabo, jactans omne cogitatum meum in cor Domini JESU, & sine fallacia illud me enutriet.

R. Qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, * in me manet, & ego in eo.

V. Non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis. In me manet.

Lectio V.

AD hoc Templum, ad hæc Sancta Sanctorum, ad hanc Arcam Testamenti adorabo, & laudabo nomen Domini, dicens cum David: Invenit cor meum, ut orem DEum meum. Et ego inveni Cor Regis, Fratris, & amici benigni JESU. Et numquid non adorabo? Hoc igitur Corde tuo, & meo, dulcissime JESU, invento, orabo te DEum meum: admitte tantum in Sacrarium exauditio- nis tuæ preces meas; imò me totum trahe in Cor tuum. O omnium pulchritud inespiciosissime JESU, amplius lava
me

me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me: ut purificatus per te purissimum, possim accedere, & in Corde tuo omnibus diebus vitæ meæ merear habitare, & ut videre simul, & facere tuam valeam voluntatem.

Rx. Sicut ovis ad occisionem ductus est, & dum malè tractaretur, non aperuit os suum; traditus est ad mortem, * ut vivificaret populum suum.

Y. Tradidit in mortem animam suam, & inter sceleratos reputatus est. Ut vivificaret.

Lectio VI.

AD hoc enim perforatum est latus tuum, ut nobis pateat introitus. Ad hoc vulneratum est Cor tuum, ut in illo, & in te ab exterioribus perturbationibus absoluti habitare possimus. Nilominus & propterea vulneratum est, ut per vulnus visibile, vulnus Amoris invisibile videamus. Quomodo hic ardor melius ostendi potest, nisi quod non solum Corpus, verum etiam ipsum Cor lancea vulnerari permisit? Carnale ergo vulnus, vulnus spirituale ostendit. Quis illud Cor tam vulneratum non diligit? quis tam amans non redamet? quis tam castum non amplectatur? Nos igitur adhuc

huc corpore manentes, quantum possu-
mus, amemus, redamemus, amplecta-
mur Vulneratum nostrum, cujus impii
agricolæ foderunt manus, & pedes; la-
tus, & Cor: stemusque, ut cor nostrum
durum adhuc, & impcœnitens Amoris
sui vinculo constringere, & jaculo vul-
nerare dignetur.

Quam charitatem Christi patientis, &
pro generis humani Redemptione mori-
entis, atque in suæ mortis commemora-
tionem instituentis Sacramentum Corpo-
ris, & Sanguinis sui, ut fideles sub San-
ctissimi Cordis symbolo devotius, ac
ferventius recolant, ejusdemque fructus
uberius percipiant, Clemens XIII. Pont.
Max. ejusdem Sanctissimi Cordis Festum
quibusdam petentibus Ecclesiis celebra-
re permisit.

R. Magnus Dominus, & laudabilis
nimis, * & sapientiæ ejus non est nume-
rus.

V. Magnus Dominus, & magna vir-
tus ejus, & sapientiæ ejus non est finis.
Et sapientiæ.

In III Nocturno.

Antiph. Annuntiate de die in diem sa-
lutare ejus.

An.

Antiph. Adorate eum omnes Angeli
ejus : audivit, & lætata est Sion.

Antiph. Viderunt omnes termini ter-
ræ salutare DEI nostri.

Y. Ex Sion species decoris ejus.

R. DEus noster manifestè veniet.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joan-
nem. *Cap. 19. 31.*

Lectio VII.

IN illo tempore Judæi, quoniam Para-
sceve erat, ut non remanerent in cru-
ce corpora Sabbato (erat enim magnus
dies ille Sabbati) rogaverunt Pilatum,
ut frangerentur eorum crura, & tolle-
rentur. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tract. 120. in Joan.

UNus militum lancea latus ejus aperu-
it, & continuò exivit sanguis, & a-
qua. Vigilanti verbo Evangelista usus
est, ut non diceret latus ejus percussit,
aut vulneravit, aut quid aliud; sed ape-
ruit, ut illud quodammodo vitæ ostium
panderetur, unde Sacramenta manave-
runt, sine quibus ad vitam, quæ vera vi-
ta est, non intratur. Ille Sanguis, qui fu-
sus est, in remissionem fusus est peccato-
rum. Aqua illa salutare temperat pocu-
lum, hæc & lavacrum præstat, & po-
tum.

tum. Hoc prænuntiabat, quod Noë in latere Arcæ ostium facere jussus est, quo intrarent animalia, quæ non erant diluvio peritura, quibus figurabatur Ecclesia.

R. Misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem: * & qui manducat me, vivet propter me.

Y. Cibavit illum Dominus pane vitæ, & intellectus. Et qui manducat.

Bño. Divinum Auxilium.

De Homiliâ S. Joannis Chrysofomi.

Homil. 84.

Lectio VIII.

Vides, quanti sit veritas? per ea, quæ Judæi faciunt, prophetia impletur; alia enim ex hoc manifestata est. Venerunt ergo milites, & aliorum fregerunt crura, non Christi; sed ad Judæorum gratiam conciliandam, latus ejus lancea aperuerunt, & mortuo adhuc insultant. O pessimam voluntatem, ac scelestissimam! noli tamen perturbari, o dilectissime! quæ enim malo illi animo patrarunt, veritati consentiabant. Prophetia hinc impleta est, inquiens: videbunt, in quem transfixerunt. Neque hoc tantum, sed non credituris fuit fidei argumentum, ut Thomæ, & qui cum eo erant. Ad hæc & arcanum mysterium confir-

firmatum est ; exivit enim sanguis , & aqua. Non casu , & simpliciter hi fontes scaturierunt , sed quoniam ex amobus Ecclesia constituta est.

R. Recessit Pater noster , fons aquæ vivæ , ad cuius transitum sol obscuratus est : * portas mortis , & seras pariter Salvator noster dirupit.

Y. Destruxit quidem claustra inferni , subvertit potentias diaboli. Portas.

Gloria Patri. Portas.

De Homilia S. Bonaventuræ Episcopi.

Lib. de ling. vitæ.

Lectio IX.

Porro , ut de latere Christi dormientis formaretur Ecclesia , divina est ordinatione indultum , ut unus militum lancea latus sacrum illud aperiendo perforaret , quatenus sanguine cum aqua manante pretium effunderetur nostræ salutis , quod à fonte scilicet Cordis arcano profusum , vim daret Sacramentis Ecclesiæ ad vitam gratiæ conferendam : essetque jam in Christo viventibus poculum fontis vivi , salientis in vitam æternam. Surge igitur anima amica Christi , vigilare non cesses , ibi os appone , ut haurias aquas de fontibus Salvatoris.

Te Deum laudamus.

Ad

Ad Laudes Et per Horas.

Antiph. Discite à me, quia mitis sum,
& humilis corde.

Psal. Dominus regnavit. *Cum reli-
quis de Dominica.*

Antiph. Sanctificavi locum istum, ut
'sit nomen meum ibi in sempiternum, &
permaneant oculi mei, & Cor meum
ibi cunctis diebus.

Antiph. Et dixi: Ergo sine causa justifi-
cavi cor meum, & lavi inter innocentes
manus meas, & fui flagellatus tota die.

Antiph. Secundùm multitudinem do-
lorum meorum in corde meo, consola-
tiones tuæ lætificaverunt animam meam.

Antiph. Pone me ut signaculum super
cor tuum, ut signaculum super brachi-
um tuum.

Capitulum. Isaia 12.

Ecce DEUS Salvator meus, fiduciali-
ter agam, & non timebo, quia fortitu-
do mea, & laus mea Dominus, & fa-
ctus est mihi in salutem. Haurietis a-
quas in gaudio de fontibus Salvatoris.

Hymnus.

COr, Arca legem continens
Non servitutis veteris,
Sed Gratiae, sed veniae,
Sed & misericordiae.

E

Cor,

Cor, Sanctuarium novi
 Intemeratum Fœderis,
 Templum vetusto sanctius,
 Velumque scissum utilius :
 Te vulneratum Charitas
 Ictu patenti voluit ;
 Amoris invisibilis
 Ut veneremur vulnera,
 Hoc sub Amoris symbolo
 Passus cruenta, & mystica,
 Utrumque sacrificium
 Christus Sacerdos obtulit.

Quis non Amantem redamet ?
 Quis non redemptus diligat,
 Et Corde in isto seligat
 Æterna tabernacula ?

Decus Parenti, & Filio,
 Sanctoque sit Spiritui,
 Quibus potestas, gloria
 Regnumque in omne est sæculum.
 Amen.

Ÿ. Verè languores nostros ipse tulit.
 R. Et dolores nostros ipse portavit.

Ad Benedictus Antiphona.

Vulneratus est propter iniquitates nostras ; attritus est propter scelera nostra : disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus.

Ora-

Oratio, ut in I. Vesperis.

Ad Primam.

Respons. breve. Christe Fili DEI vi-
vi! miserere nobis. Christe Fili DEI vi-
vi! miserere nobis.

Ÿ. Qui passus es pro nobis. Misere-
re nobis.

Ad Tertiam.

Capitulum Ecce Deus Salvator.

℞. *breve.* Verè languores nostros ipse
tulit. Verè.

Ÿ. Et dolores nostros ipse portavit.
Languores nostros ipse tulit.

Gloria Patri. Verè.

Ÿ. Posuit fines tuos pacem.

℞. Et adipe frumenti satiat te.

Ad Sextam Capitulum. Isaia 12.

Dicetis in illa die: Confitemini Do-
mino; & invocate Nomen ejus: & me-
mentote, quoniam excelsum est Nomen
ejus.

℞. *breve.* Posuit fines tuos pacem.
Posuit.

Ÿ. Et adipe frumenti satiat te.

Fines tuos pacem.

Gloria Patri. Posuit.

Ÿ. Dirupisti Domine vincula mea.

℞. Tibi sacrificabo hostiam laudis.

Ad Nonam, Capitulum. Isaia 12.

Cantate Domino, quoniam mirificè fecit, annunciate hoc in univèrsa terra. Exulta, & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Israël.

Rc. breve. Dirupisti Domine vincula mea. Dirupisti.

Y. Tibi sacrificabo hostiam laudis. Vincula mea.

Gloria Patri. Dirupisti.

Y. Erit Dominus nominatus in signum æternum.

Rc. Quod non auferetur.

In II. Vesperis

Omnia ut in primis, præter sequentia.

Y. Haurietis aquas in gaudio.


Rc. De Fontibus Salvatoris.

Ad Magnificat.

Antiph. Ad JESUM autem cum venissent, ut viderunt eum mortuum, non fregerunt ejus crura; sed unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis, & aqua.

Oratio, ut in primis Vesperis.





DIE XXV. MAJI.

In Fefto S. GREGORII Septimi Papæ &
Confef. Dupl.

Oratio.

DEus in te fperantium fortitudo, qui
beatum Gregorium Confefforem tu-
um atque Pontificem, pro tuenda Ec-
clefiæ libertate virtute constantiæ robo-
rafti: da nobis ejus exemplo & inter-
ceffione, omnia adverfantia fortiter fu-
perare. Per Dominum.

Oratio.

DAquæfumus omnipotens Deus: ut qui
beati Urbani Martyris tui, atque Pon-
tificis folemnia colimus, ejus apud te in-
terceffionibus adjuvemur. Per Dominū.

In II. Nocturno. Lect. IV.

Gregorius Papa Septimus, antea Hil-
debrandus, Suanæ in Etruria natus,
doctrina, fanctitate, omnique virtutum
genere cum primis nobilis, mirificè uni-
verfam Dei illustravit Ecclefiam. Cum
parvulus ad Fabri ligna edolantis pedes,
jam litterarum infcius, luderet, ex re-
jectis tamen fegmentis illa Davidici ele-
menta oraculi, dominabitur à mari ufque
ad mare, cafu formaffe narratur, ma-
num pueri ductante Numine, quo fig-
nificaretur ejus fore ampliffimam in mun-
do

do auctoritatem. Romam deinde profectus, sub protectione sancti Petri educatus est. Juvenis Ecclesiae libertatem à laicis oppressam, ac depravatos Ecclesiasticorum mores vehementiùs dolens, in Cluniacensi Monasterio, ubi sub Regula sancti Benedicti austerioris vitae observantia eo tempore maximè vigeat, Monachi habitum induens, tanto pietatis ardore Divinae Majestati deserviebat, ut à Sanctis ejusdem Cænobii Patribus Prior sit electus. Sed divina providentia majora de eo disponente in salutem plurimorum, Cluniaco eductus Hildebrandus, Abbas primùm Monasterii Sancti Pauli extra muros Urbis electus, ac postmodùm Romanæ Ecclesiae Cardinalis creatus, sub Summis Pontificibus, Leone Nono, Victore Secundo, Stephano Nono, Nicolao Secundo, & Alexandro Secundo, præcipuis muneribus & legationibus perfunctus est, sanctissimi & purissimi consilii vir à beato Petro Damiani nuncupatus. A Victore Papa Secundo Legatus à latere in Galliam missus, Lugduni Episcopum Simonica labe infectum ad sui criminis confessionem miraculo adegit. Berengarium in Concilio Turo-nensi ad iteratam hæresis abjurationem

com-

compulit. Cadolai quoque schisma sua virtute compressit.

Lectio V.

Mortuo Alexandro Secundo, invitus & mœrens unanimi omnium consensu, decimo Kalendas Maji, anno Christi millesimo septuagesimo tertio, Summus Pontifex electus, sicut sol effulsit in Domo Dei: nam potens opere, & sermone, Ecclesiasticæ disciplinæ reparandæ, fidei propagandæ, libertati Ecclesiæ restituendæ, extirpandis erroribus & corruptelis tanto studio incubuit, ut ex Apostolorum ætate nullus Pontificum fuisse tradatur, qui majores pro Ecclesia Dei labores, molestiasque pertulerit, aut qui pro ejus libertate acrius pugnaverit. Aliquot Provincias à Simoniaca labe expurgavit. Contra Henrici Imperatoris impios conatus fortis per omnia athleta, impavidus permanfit, seque pro muro domui Israël ponere non timuit, ac eundem Henricum in profundum malorum prolapsum, fidelium communionem, regnoque privavit, atque subditos populos fide ei data liberavit.

Lectio VI.

DUm Missarum solemnia perageret, visa est viris piis columba è cælo de-

lapsa humero ejus dextro insidens, alis
 extensis caput ejus velare, quo significa-
 tum est, Spiritus Sancti afflatu, non hu-
 manæ prudentiæ, rationibus ipsam du-
 ci in Ecclesiæ regimine. Cùm ab iniqui
 Henrici exercitu Romæ gravi obsidione
 premeretur, excitatum ab hostibus in-
 cendium signo Crucis extinxit. De ej-
 us manu tandem à Roberto Guiscardo
 Duce Northmanno ereptus, Cassinum
 se contulit: atque inde Salernum ad de-
 dicandam Ecclesiam Sancti Matthæi A-
 postoli contendit. Cùm aliquando in ea
 Civitate sermonem habuisset ad popu-
 lum, ærumnis confectus in morbum in-
 cidit, quo se interiturum præscivit. Po-
 strema morientis Gregorii verba fuere:
 Dilexi justitiam, & odivi iniquitatem,
 propterea morior in exilio. Innumera-
 bilia sunt quæ vel fortiter sustinuit, vel
 multis coactis in Urbe Synodis sapienter
 constituit, vir verè sanctus, criminum
 vindex, & acerrimus Ecclesiæ defensor.
 Exactis itaque in Pontificatu annis duo-
 decim migravit in Cælum, anno salutis
 millesimo octogesimo quinto, pluribus
 in vita & post mortem miraculis clarus,
 ejusque sacrum corpus in Cathedrali Ba-
 silica Salernitana est honorificè conditum.

In III. Nocturno Homil. S. Hilarii Episcopi in Evangel. Vigilate.

DIE V. JUNII.

In Festo S. BONIFACII Ep. & Mart. Dupl. Oratio.

DEUS qui nos Beati Bonifacii Martyris tui atque Pontificis annua solemnitate lætificas : concede propitius , ut ejus natalitia colimus , de ejusdem etiam protectione gaudeamus.

Lect. I. Noct. à Mileto.

In II. Nocturno.

Lectio IV.

BONIFACIUS in Anglia natus , à puero sub disciplina Instituti Monastici educatus , in omni litterarum genere præcipuè verò sacrarum scripturarum intelligentia , tantam doctrinæ laudem est consecutus , ut multi fama ejus passim diffusa moti , ei se erudiendos tradere studerent , ipse verò hominum favorem horrescens , solius verò divini amoris zelo accensus , peregrinationem pro Christi gloria ad loca remota suscepit , ac primum venit in Frisiam ; at ubi illic maximam partem Ecclesiarum Christi à Radbodo Tyranno , servos Christi persequente , & profligante , vastatam & everfam , extructa verò dæmonum cultui sana reperit , rei indigni-

tate motus, vacua spiritali fertilitate arva relinquens, ad natale solum se recepit.

Lectio V.

Patre Monasterii sui intereà defuncto, Fratres ei regendi munus decernunt; quod ipse, qui peregrinationem denuò meditabatur, recusans, impetratis ab Episcopo illius loci benedictione & litteris commendatitiis, Romam cum aliis non paucis Dei servis, qui se ipsi adjunxerant, profectus est, ubi à Gregorio hujus nominis secundo Summo Pontifice, benignè exceptus, Mandatum prædicandi Evangelium per Germaniam accepit: ac litteris Apostolicæ sedis instructus, varias Germaniæ Provincias, Verbi Dei semen spargendo perlustravit. Tandem audita Radbodi morte, in Frisiam rediit, ac plurimos ibi ab idoloriæ erroribus ad veritatis lumen retraxit. Manabat interim longè latèque fama prædicationis ejus, & fidelium numero magna fiebat accessio, ita ut Romam veniens, fidei & doctrinæ suæ Pontifici Summo rationem reddens, Episcopus ab eodem crearetur, ac demum cum inde reversus, infinitam hominum multitudinem fidei Christianæ aggregasset, Moguntinensi Sedi, tunc in
ejus

ejus gratiam ad Archiepiscopatus dignitatem evectæ, præficeretur.

Lect. VI.

QUamobrem, cum in tanta Messis copia, paucitas operariorum quos habebat, non sufficeret, instituendæ credentium multitudini plures alios pietate & eruditione præstantes viros accivit, & per provincias multos ordinavit, & constituit Episcopos, extruxit Ecclesias, Monasteria erexit; ac tanta Germaniæ populis beneficia spiritualia feliciter præstitit, ut Germanorum Apostolus mereretur appellari. Tandem navi in Frisiam denuò delatus, virisque Sanctis, qui disseminando Dei verbo, strenuè cum ipso laborârunt, comitatus, ab impiis & ingratis Frisonibus ex filiis & amicis in hostes, ex neophytis in lictores mutatis, unà cum Eobano & aliis Dei ministris barbara feritate trucidatur Nonis Junii, anno incarnationis Dominicæ septingentesimo, quinquagesimo quarto.

Lect. 3. Noct. Homilia : *Si quis vult post me venire.*

DIE XI. JULII.

In Festo S. UDALRICI Conf.

Oratio. Deus qui nos B. Udalrici &c.

In primo Noct. Lectiones. Beatus vir.

In

In secundo Nocturno Lect. IV.

UDalricus ex illustri Bojariorum gente, Patre Bernoldo, Henrico III. Imperatori acceptissimo Ratisbonæ natus, in liberalibus studiis & disciplinis sedulo fuit institutus. Jam inde à pueritia sacrarum litterarum lectioni addictus mores suos ad divinæ legis normam componere studuit; aded, ut qualis futurus esset, non obscure significaret; ea ætate virginitatem Deo vovisse memoriæ proditum est. Adolescentior factus, & Aulam Imperatoris ingressus virtutum omnium exemplar cæteris Aulicis se præbuit. Mox à Patruo Frisingensi Episcopo ab Aula evocatus, Clericali militiae adscriptus, & Diaconus factus ob spectatam morum integritatem, Frisingensi Ecclesiæ Præpositus est renunciatus. Sed non ita multo post amore sacra Palæstinæ loca visendi incensus, longissimam illam peregrinationem non sine magnis laboribus, vitæque discrimine suscepit, perfecitque. Ratisbonam reversus, de solitaria vita capessenda, construendoque Monasterio cogitare cœpit. Sed fama permotus S. Hugonis Abbatis Cluniacensis suis bonis maxima ex parte pauperibus distributis, una cum Geraldo,

do, qui postea Episcopus Ostiensis fuit, Cluniacum profectus est, ut se illi in Monastica vita instituendum traderet; sed quomodo propositum suum exequi feliciter posset, prius ad sacra Apostolorum limina in Urbe Roma eodem Geraldo Comite accedere voluit.

Lectio V.

AB Hugone in Monasterium admissus, statim virtutibus omnibus, imprimisque Christiana animi demissione adeo inclarescere cepit, ut paulo post Hugo eundem ad Sacerdotium promovendum curaverit, sibi, & à consiliis esse voluerit, ac Monachorum confessionibus excipiendis præfecerit. Hoc munere admirabili prudentia, comitate, & charitate defungebatur: quibus factum, ut, cum frequenter, tyrones præsertim, eundem adirent petitori consilium, Tyronum Dux & Magister etiam post mortem fuerit appellatus. Sævissimas carnis tentationes mira fortitudine devicit; illatas sibi injurias patientissimè tulit. Marcianum, ut sacris Virginibus præesset, missus, oculi dolore, quo vehementissimè afflictabatur, correptus, Cluniacum reverti coactus est; sed pristinae incolumitati restitutus, Hugonis jussu primò
Mo.

Monasterium in monte Rotgeri à fundamentis exstruxit, in quo malefactorum hominum calumniis impeditus easdem incredibili virtute, & prudentia superavit: mox Gruningense Monasterium, jam pridem in Brisgovia fundatum, regendum suscepit. Verùm in hoc Monasterio non diu substitit Udalricus, quòd illud Laicorum frequentiae nimium patere cerneret: quare in locum magis remotum, Cella dictum, in Sylva Nigra Monasterium transtulit. Hujus Monasterii Ecclesiam in honorem Ss. Apostolorum Petri & Pauli etiam aedificavit, altero in Bollschweilenfi pago pro sacris Virginibus exstructo Asceterio.

Lectio VI.

Monachos sanctissimis legibus atque institutis regebat, sed praesertim abstinencia, vigiliis, jugibus lacrymis, continenti ferventissimaque oratione, & aliarum virtutum exercitatione ad pietatem excitabat: quare brevi ejusdem sanctimoniae fama longius, latiusque diffusa est. Ad Willelmum etiam Abbatem Hirshaugiensem divertit, ab eodemque hospitio receptus, ejus rogatu de consuetudinibus Cluniacensibus libros mira sapientia & pietate refertos conscripsit.

De-

Denique virtutibus & miraculis clarus, cum oculorum usum penitus amisisset, eamve calamitatem biennio integro æquissimo animo pertulisset, in extremum incidit morbum, atque ad ea verba: Sancti per fidem vicerunt regna, quæ sibi animam agenti jusserat recitari, spiritum Deo reddidit in eodem Monasterio Ss. Petri & Pauli, ubi ejus sacrum corpus conditum fuit, & quod deinde à S. Udalrico nomen accepit. In Constantiensi Dicecesi, quam vivens Sanctis operibus & miraculis illustraverat, à tempore, quod hominum memoriam superat, eidem cultus exhibitus est; ejusque dies festus in Ecclesia sanctorum Apostolorum Petri & Pauli ab ipso constructa magna populorum frequentia, & solemnitate sexto Idus Julii celebrari consuevit. In 3. Noct. Homil. in Evang. *Sint lumbi.*

DIE XV. JULII.

In Festo S. CAMILLI de LELLIS.

Dupl. minus

Oratio.

DEus, qui sanctum Camillum ad animarum in extremo agone luctantium subsidium singulari charitatis prærogativâ decorasti: ejus, quæsumus, meritis Spiritum nobis tuæ dilectionis infunde; ut
in

in hora exitus nostri hostem vincere, & ad cœlestem mereamur coronam pervenire. Per Dominum. in unitate ejusdem.

In II. Nocturno. Lectio IV.

CAmillus Bucclanici Theatinæ Diœcesis oppido ex nobili Lelliorum familia natus est, Matre sexagenaria, cui gravidæ visum est per quietem, puerulum Crucis signo in pectore munitum, & agmini puerorum idem signum gestantium præeuntem, se peperisse. Adolescens rem militarem secutus, sæculi vitis aliquandiù indulgit; donec vigesimum quintum agens ætatis añum tanto supernæ gratiæ lumine, divinæque offensæ dolore correptus fuit, ut uberrimo lacrymarum imbri illicò perfusus, antectæ vitæ sordes indefinenter abstergere, novumq; induere hominem firmiter decreverit. Quare ipso, quo id contigit, Purificationis Beatissimæ Virginis festo die ad Fratres Minores, quos Capucinos vocant, convolans, ut eorum numero adscriberetur, summis precibus exoravit. Voti semel, atque iterum compos factus est; Sed scedo ulcere, quo aliquandò laboraverat in ejus tibia iteratò recrudescente, divinæ Providentiæ majora de eo disponentis consilio humiliter se subjecit,

jecit, sui que victor, illius Religionis bis expetitur, & susceptum habitum bis dimisit.

Lect. V.

Romam profectus, in Nosocomium, quod Insanabilium dicitur, receptus est; cujus etiam administrationem, ob perspectas ejus virtutes sibi demandatam, summa integritate, ac sollicitudine verè paterna peregit. Omnium ægrorum Servum se reputans, eorum sternere lætulos, sordes tergere, ulceribus mederi, agonique extremo piis precibus, & cohortationibus opem ferre solemne habuit; quibus in muneribus præclara præbuit admirabilis patientiæ, invictæ fortitudinis, & heroicæ charitatis exempla. Verùm cum animarum in extremis periclitantium, quod unicè intendebat, levamini subsidium litterarum plurimum conferre intelligeret, triginta duos annos natus in primis grammaticæ elementis tyrocinium inter pueros iterum subire non erubuit. Sacerdotio postea ritè initiatus, nonnullis sibi adjunctis sociis, prima jecit Congregationis Clericorum Regularium Infirmis Ministrantium fundamenta; irritò conatu obnitente humani generis hoste: Nam Camillus cœle-

sti voce è Christi crucifixi, manus etiam de ligno avulsas admirando protendentis simulacro emissâ mirabiliter confirmatus, Ordinem suum à Sede Apostolica approbari obtinuit, Sodalibus quarto obstrictis maximè arduo voto, Infirmis, quos etiam pestis infecerit, ministrandi. Quod Institutum, quàm foret Deo acceptum, & animarum saluti proficuum, Sanctus Philippus Neri, qui Camillo à sacris Confessionibus erat, comprobavit; dum ejus alumnis decedentium agoni opem ferentibus Angelos suggerentes verba sapiùs se vidisse testatus est.

Lectio VI.

Artioribus hisce vinculis ægrotantium ministerio mancipatus, mirum est, qua alacritate, nullis fractus laboribus, nullis deterritus vitæ periculis, diù, noctuque ad supremum usque spiritum, eorum comòdis vigilaverit. Omnibus omnia factus, vilissima quæque officia demississimo obsequio, flexisquæ plerumque genibus, veluti Christum ipsum cerneret in infirmis, hilari promptoque animo arripiebat; utque omnium indigentis præstò esset, generalem Ordinis Præfecturam, cælique delicias, quibus in contemplatione de-

defixus affluebat, spontè dimisit. Pater-
 nus verò illus ergà miseros amor tùm
 maximè effulfit, cùm & Urbs contagioso
 morbo primùm, deinde extrema anno-
 næ laboraret inopia, & Nolæ in Cam-
 pania dira pestis grassaretur. Tanta de-
 nique in Deum & proximum charitate
 exarsit, ut Angelus nuncupari, & An-
 gelorum opem in vario itinerum disci-
 mine experiri promereretur. Prophetiæ
 dono, & gratia sanitatum præditus, ar-
 cana quoque cordium inspexit; ejusque
 precibus nunc cibaria multiplicata sunt,
 nunc aqua in vinum conversa. Tandem
 vigiliis, jejuniis, & assiduis attritus la-
 boribus, cùm pelle tantùm & ossibus
 constare videretur, quinque molestis æ-
 què ac diutinis morbis, quos Misericor-
 dias Domini appellabat, fortiter tolera-
 tis, Sacramentis munitus, Romæ inter
 suavissima JESU & Mariæ nomina, ad ea
 verba: Miris, atque festivus Christi JE-
 su tibi aspectus appareat, qua prædixe-
 rat hora, obdormivit in Domino pridie
 Idus Julii anno salutis millesimo sexcen-
 tesimo decimo quarto, ætatis suæ sexa-
 gesimo quinto, quem pluribus illustrem
 miraculis Benedictus XIV. Sanctorum
 fastis adscripsit. *Rel. de Cein Conf, non P. I. loco.*



DIE XXVI AUGUSTI. alias 27. ejusd.

*In Festo S. JOSEPHI CALASANCTII
à Matre DEI Confess. Dupl. min.*

Oremus.

DEus, qui per S. Josephum Confesso-
rem tuum ad erudiendam spiritu in-
telligentiæ, ac pietatis juventutem, no-
vum Ecclesiæ tuæ subsidium providere
dignatus es, præsta quæsumus, nos ej-
us exemplo, & intercessione ita facere,
& docere, ut præmia consequamur æ-
terna. Per Dominum.

In I. Nocturno.

*Lectioes de Comm. Confess. non Pontif.
II. loco.*

In II. Nocturno

Lectio IV.

Josephus Calasanctius à Matre DEI Pe-
traltæ in Aragonia nobili genere na-
tus, à teneris annis, futuræ in pueros
charitatis, & eorum institutionis indicia
præbuit. Nam adhuc parvulus eos ad
se convocatos in mysteriis Fidei, & sa-
cris precibus, erudiebat. Humanis, di-
vinisque litteris egregiè doctus, cum
studiis Theologicis Valentia operam da-
ret, nobilis potentisque fæminæ illece-
bris fortiter superatis, virginitatem,
quam DEO voverat, inoffensam, infig-
ni

ni victoria servavit. Sacerdos ex voto factus, à compluribus Episcopis in Castellæ Novæ, Aragoniæ, & Catalauniæ regnis in partem laboris adscitus, expectationem omnium vicit, pravis ubique moribus emendatis, Ecclesiastica disciplina restituta, inimicitiis cruentisque factionibus mirificè extinctis. At cœlesti visione, & DEI voce frequenter admonitus Romam profectus est.

Lectio V.

IN Urbe summa vitæ asperitate, vigiliis, & jejuniis corpus affligens in orationibus, & cœlestium rerum contemplatione dies noctesque versabatur, septem ejusdem Urbis Ecclesias singulis ferè noctibus obire solitus : quem inde morem complures annos servavit. Dato piis sodalitatibus nomine, mirum, quanto ardore pauperes, infirmos potissimum aut carceribus detentos eleemosinis, omnique pietatis officio sublevaret. Lue Urbem depopulante, una cum S. Camillo, tanto fuit actus impetu charitatis, ut præter subsidia ægrotis pauperibus largè collata, ipsa etiam defunctorum cadavera suis humeris tumulanda transferret. Verum cum divinitus accepisset, se ad informandos intelligentiæ, ac pie-

tatis spiritu adolescentulos, præcipuè pauperes, destinari, Ordinem Clericorum Regularium Pauperum Matris DEI Scholarum Piarum fundavit, qui peculiarem curam circa puerorum eruditionem ex proprio Instituto profiterentur: ipsumque Ordinem Clementi VIII, Paulo V., aliisque Summis Pontificibus magnopere probatum, brevi tempore per plurimas Europæ Provincias, & Regna mirabiliter propagavit. In hoc autem tot labores perpessus est, ac tot ærumnas invicto animo toleravit, ut omnium voce miraculum fortitudinis, & S. Jobi exemplum diceretur.

Lectio VI.

QUAMVIS Ordini universo præesset, totisque viribus ad animarum salutem incumberet, nunquam tamen intermisit pueros præsertim pauperiores, erudire, quorum scholas verrere, eosque domum comitari consuevit. In eo summæ patientiæ, & humilitatis munere, valetudine etiam infirma, duos & quinquaginta annos perseveravit: dignus propterea, quem crebris DEUS miraculis coram discipulis illustraret, & cui Beatissima Virgo cum puero JESU, illis orantibus benedicente, appareret. Amplif-

plissimis interim dignitatibus repudiatis, prophetia, abdita cordium, & absentia cognoscendi donis, & miraculis clarus, Deiparæ Virginis, quam singulari pietate, & ipse ab infantia coluit, & suis maximè commendavit, aliorumque Cœlitum frequenti apparitione dignatus, cum obitus sui diem, & Ordinis tunc propè eversi restitutionem, atque incrementum prænunciasset, secundum & nonagesimum annum agens, Romæ obdormivit in Domino octavo Kalend. Septembris anno millesimo sexcentesimo quadragesimo octavo. Ejus Cor, & Lingua post sæculum integra, & incorrupta reperta sunt. Ipse verò multis post obitum quoque signis à DEO illustratus, primùm à Benedicto XIV. Beatorum cultu decoratus fuit, ac deinde à Clemente XIII. Pontifice Maximo inter Sanctos solemniter est relatus.

In III. Noct. Lect. VII.

Lectio S. Evang. secundum Matthæum. *Cap. 18.*

IN illo tempore accesserunt Discipuli ad Jesum dicentes: quis putas, major est in Regno Cœlorum? *Et reliqua*

Homilia Sancti Joannis Chrysofomi.

In Cap. 18. Matth. Hom. 66.

Videte, ne aliquem istorum contempseritis parvulorum, quia eorum Angeli Patris mei faciem semper aspiciunt, & quia ego propter eos veni, & hæc Patris mei voluntas est, ad tuendos, conservandosque pusillos diligentiores nos reddit. Perspicis quàm ingentia in tutelam tenuium mænia erexerit, & quantum studium, curamque habeat, ne perdantur, tum quia supremas decipientibus eos pœnas statuit, tum quia summam pollicetur mercedem his, qui curam eorum suscipiunt, idque tam suo, quàm Patris exemplo corroborat.

Lectio VIII.

Dominum igitur etiam nos imitemur, & nihil pro fratribus omittamus, etiam eorum, quæ humilia, viliaque nimium videntur: sed si administratione nostra etiam opus fuerit, quamvis tenuis, atque abjectus quidem, cui administrandum sit, fuerit, quamvis ardua nobis res, atque laboris plena esse videatur, omnia hæc pro fratris salute tolerabilia, facilioraque, oro, videantur: tanto enim studio, tantaque cura DEUS dignam esse animam ostendit, ut neque Filio suo pepercerit.

*Lect. IX. De S. Zephyrino.**DIE*



DIE III. NOVEMBRIS.

In Festo S. IDDÆ Viduæ. Dupl.

Oratio. Exaudi nos &c.

In II. Noct. Lect. IV.

Idda in Suevia ex Comitibus Kirchbergenfibus oriunda, Henrico Comiti Dogkenburgi cùm nupfiffet, lapfu temporis mundum muliebrem ad solem editiori loco arcis Dogkenburgi exposuit, inter quæ etiam annulum, quem arrhæ nomine Henricus Comes ei dederat. Corvus autem annulum rostro cùm sublegiffet, & in subjectam arci vallem avolando, nido intuliffet, venator Comitum crocitanter inter corvi ipsius pullos in summa abiete annulum nactus, digito inferuit, quem cùm in aula ambitiosius deinde circumferret, amulorum animos concitavit, eo usque, ut apud Comitem nefandæ cum Domina consuetudinis infamularent. Quam ob rem furore percitus Comes calcitrosi equi caudæ alligatum, per præcipitia, stipites & saxa infelicem servum discerpfit. Et mox Iddam innocentem ac religiosam conjugem ex summa arce ad ima cubitis quadringentis præcipitem egit.

Lectio V.

SED DEUS integram, & illaenam mirabiliter conservavit. DEO igitur servatori gratias Idda humi fusa cum egisset, eique se ac sua omnia prona devovisset, manu, ut licuit, sua tuguriolum in solitudine praeparavit, radicibusque ac limpidis eremi fontibus vitam sustentavit. Demum vero post aliquot annos per venatorem alium divinitus forte detecta, & Comiti indicata, ab eodem Comite ingenti lacrymarum vi & gaudio denuo salutata, conjugalem vitam, quantumvis Comes ipse rogaret, Jesu Christi amore prorsus respuit ac contempsit, mutato tamen domicilio non procul abs Fischingensibus caenobiis Deiparae Virginis fanum incoluit, & summis vitae rigoribus complures annos sanctissime dum exigeret, malignorum spirituum horrendas saepe insidias fortiter superavit

Lectio. VI.

JAM vero cum nocturnas etiam preces ad jam dictum caenobium Fischingense frequentaret, cervus in cornibus duodecim luminaria praeferre affolitus, eam quotidie mille quasi passibus duxit, & reduxit. Senio autem confecta, cum sacra-

cra-

crarum Virginum alterum scilicet cænobium Fischingæ fuisset ingressa, semelque spiritualibus exercitiis pervigil ipsa incumberet, diabolus lumen ei extinxit. At illa protenso per fenestellam cereo mortuum de cæmeterio inclamavit, & lumen petiit. Illico adest mortuus & lumen, inquit, accipe, Doggenburgus sum genere, dixitque, & accenso cereo requievit. Idæa verò diebus suis omnibus sanctissimè demum expletis, multis miraculis clara, die tertia Novembris in cælum abiit apud divi Benedicti Monachos in cænobio sæpè dicto Fischingensi sepulta fuit.

In 3. Noct. Hom. in Evang. Simile est regnum cælorum thesauro.

DIE XIV. NOVEMBRIS.

*In Festo B. ELISABETHÆ BONÆ
Virg. Dupl. minus.*

Lectioes. In I. Nocturno

*De Epist. 1. S. Pauli Apost. ad Cor. De
Virginibus.*

In II. Nocturno. Lectio IV.

ELisabeth, ob eximiam vitæ sanctitatem vulgò Bona, orta est anno Christi millesimo trecentesimo octogesimo sexto in opido Waldsee Dicecesis Constantiensis: parentes catholicos habuit
Jo.

Joannem Achlerum, & Annam, qui illam Ecclesiæ Sacramentis initiarunt, & Christianam religionē sedulo docuerunt: in summa animi simplicitate, & morum honestate primis adolescentiæ annis transactis, hortatore Conrado Kūgelino Viro probo, cui se in spiritali palæstra instituendam tradiderat, de capeffendo tertio S. Francisci Instituto cogitare cœpit, cui postea in Monasterio Reuthe constructo, licet multa pertulerit, sese adstrinxit. Pedem ex illo nunquam exulit, propterea inclusa nuncupata, eamque Anna mater, defuncto Viro, sequuta est, cum qua ad obitum usque sanctissimè conversata fuit.

Lectio V.

IN præfato Monasterio perfectionis iter ferventiore quadam ratione fuit aggressa, & odio flagitia quævis ita vehementer insequabatur, ut in Sacramentali expiatione aliquando vix inveniret Confessarius, quod satis absolutioni esset. Proximorum amorem, paupertatem, obedientiam, afflictationem corporis, castimoniam, abstinentiam mirificè coluit, sibi que adversas Sanctimoniales, à quibus diu, multumque fuit divexata, æquissimo, & benevolo animo comple-

xa est. Magna animi demissione vilissima loci munera hilaris explevit: JESU Christi patientis amore vehementer incensa in actibus omnibus dolorum illius acerbitatem, & Crucem contemplabatur, imo ad obitum usque eam dolor momordit, quod in puerili ætate Dominicos cruciatus ad memoriam non revocaverit frequentius.

Lectio VI.

SUp̄ernis pluribus charismatibus sanctimoniam Elisabeth Deus testatam voluit. Prophetiæ dono claruit, qua etiam, teterrimo furente schismate, Ecclesiæ pacem Martini V. electione futuram prædixit. Morti proxima à Confessario exorata, ut collata sibi divinitus beneficia manifestaret, contegi optavit, petiitque silentio obvolvi, affirmans, sese peccatis irretitam, & præsto esse ad exemplum vitam Christi, Mariæ, & Sanctorum. Itaque Sacramentis refecta, ad illa Verba Evangelii: *Et emisit Spiritum;* quod legi jusserat, vij. Kalendas Decembris anno Virginei Partus millesimo quatercentesimo vigesimo, ætatis trigesimo quarto, placidissimè obdormivit in Domino, quem paulo ante obsecraverat, ut S. Joannis Apostoli amore succendi

cendi se largiretur. Cultu publico re-
coli Elisabeth illico cœpit, quem à tem-
pore, quod hominum memoriam supe-
rat, eidem exhibitum, Clemens XIII.
Pontifex Maximus ritè probavit.

DIE XXIII NOVEMBRIS.

OCTAVA S. OTHMARI ABB.

Lect. I. Nocturni de Scriptura.

Lect. II. Nocturno.

Ex libris *Moralium S. Gregorii Papæ.*

Lib. 10. c. 12.

Justus cùm se consumptum putaverit,
ut lucifer oritur. Quia mox ut tene-
brescere tentationum caligine cœperit,
ad lucem gratiæ reformatur, & in sei-
pso monstrat diem justitiæ, qui casurus
paulò antè timuit noctem culpæ. Rectè
autem lucifero justii vita comparatur.
Solem quippe præcurrens lucifer nunci-
at. Et quid nobis Sanctorum innocen-
tia, nisi sequentis Judicis claritatem cla-
mat? In eorum námque admiratione
conspicimus, quid de majestate veri lu-
minis æstimemus. Necdum Redempto-
ris nostri potentiam videmus, sed tamen
virtutem illius in electorum suorum mo-
ribus admiramur. *Lect. V.*

Quia igitur bonorum vita in confide-
ratione sua oculis nostris vim veri-
tatis

tatis objicit, clarus ad nos lucifer ante solem venit. Sciendum verò est, quòd hæc, quæ ex tentationum Spiritualium adversitate discussimus, juxta exteriora quòque mala nil obstat intelligi: sancti etenim viri, quia summa medullitùs diligunt, in infimis dura patiuntur: sed in fine gaudij lumen inveniunt, quod habere in hoc spatio præcurrentis vitæ contemnunt. Unde dicitur: Et quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vespere: peccatoris enim lumen in die, est obscuritas in vespere: quia in præsentis vitæ felicitate attollitur: sed adversitatis tenebris in fine devoratur.

Lectio VI.

Justo autem meridianus fulgor ad vespere surgit: quia quanta sibi claritas maneat, cum jam occumbere cœperit, agnoscit. Hinc namque scriptum est: Timenti Deum benè erit in extremis. Hinc per Psalmistam dicitur: Cùm dederit dilectis suis somnum, hæc est hæreditas Domini. Qui in hujus quoque vitæ certamine positus, cum se consumptum putaverit, ut lucifer oritur: quia foris cadens, intùs innovatur: & quò magis exteriùs adversa tolerat, eò uberiùs virtutum lumine interiùs coruscat.

Lect. 3. Noct. Eccenos reliquimus. IN-